Cavallini (Christian)

De L. Apulejo, scriptore Latino,

Adversaria,

quæ

Venia Ampl. Fac. Philos. Lund.

p. p.

Mag. **Chr. Cavallin,**
Ad. Reg. Univ. Biblioth. Aman. E. O.

In Auditorio N:o I die XXIX Mai. MDCCCLVII.
Hora a. m. IX.

Lundæ,
typis Berlingianis,
MDCCCLVII.

Quemadmodum hominum, sic literarum esse quandam senilem ætatem, quæ, novi nihil concipiens et struens, aut in præteritorum temporum recordatione tota posita sit aut omne studium tanquam inane remittat et contemnat, id literas Latinas seculi post Christum secundi contemplantibus apparet. Nam illa ætas, quæ a præcedenti, a cujus et ingenio et fortuna longe aberat, literarum excultique sermonis amplissimam acceperat hereditatem, neque poterat ex se ipsa quidquam parere, quum ita imitaretur antiquos, ut sermonem Plauti, Catonis, Sallustii in vitam studeret revocare, tum omissa omni sermonis excolendi cura ad vulgaris sermonis negligentiam vitiosamque consuetudinem delapsa est. Accedit, quo quis facile suspicetur Latinum sermonem scribendique genus facta esse corruptiora, quod illa ætate multi scriptores, quum in provinciis vel nati vel ætatem degentes nulla urbis consuetudine tenerentur, aut Græca insolentia aut peregrina barbarie sermonem infuscasse videntur. Quo in numero est ille, de quo erit hæc commentatio, L. Apulejus, quem hominem Afrum constat Frontoni et Gellio aut æqualem fuisse aut certe ab illorum ætate non multum abfuisse. Eundem constat et Athenis [1]) et Romæ [2]) quum omni libe-

[1]) Ap. Fl. XVII.
[2]) I. XVIII.

rali studio tum eloquentiæ operam dedisse. Quæ cum ita sint, quærere instituimus, quæ huic Afro cum iis Romanis scriptoribus, quorum ex illa ætate ad nos pervenerunt libri, ratio intercedat et necessitudo, vel clarius dicam, quantum vel ea Latine scribendi ratio, quæ Antoninorum ætate vigeret, vel provincialis quædam consuetudo ad sermonem Apuleji formandum valuisse videatur.

Atque ex Romanis quidem scriptoribus nemo est, ex cujus verbis cerni possit, quid de eloquentia Apuleji sua ætas judicaverit; Afris vero hunc scriptorem quum diserto et eleganti, tum maxime emendato sermone uti visum fuisse, ipsius testimonio proditum est memoriæ. Nam in quadam oratione habita apud Carthaginienses [3], principes Africæ viros, quos idem vocat homines omnium eruditissimos: "Quis, inquit, vestrum mihi unum soloecismum ignoverit, quis vel unam syllabam barbare pronuntiatam donaverit, quis incondita et vitiosa verba temere quasi delirantibus oborientia blaterare permiserit? Quod tamen aliis facile et sane meritissimo ignoscitis. Meum vero unumquodque dictum acriter examinatis et, quodcumque ad vos protuli, exceptum illico et lectum est" [4]. Quibus ex verbis facile intelligitur, fuisse eum sermonem, quo uterentur ipsi illi principes "semper Africæ viri" [5], quos in illa de pallio oratione ita alloquitur Tertullianus, ut dicat eos, Tyro ducta gentis origine, jam ex Punicis Romanos factos, multa ex Græca consuetudine sumta Romanis moribus immiscuisse, fuisse, inquam, horum sermonem provinciali quadam barbarie vel certe insolentia corruptum [6], quæ vitiosa consuetudo quantum

[3]) Flor. IX.

[4]) Apol. 55.

[5]) Test. de Pallio I.

[6]) Cfr. Flor. XVIII. p. 93.

differret ab eleganti et Romana facilius esset audientem intelligere, quam inveterata vitia et tanquam innata loquentem fugere; Apulejum autem vel quod Romæ sermonem excoluisset vel quod in libris diu multumque volutatus esset, ita esse locutum, ut provincialibus, apud quos magna esset eloquentiæ gratia et admiratio [7]), ad urbis et optimorum scriptorum consuetudinem proxime videretur accedere.

Tanta igitur sermonis elegantia eruditorum popularium auribus et lectioni commendatus, Apulejus non unum orationis genus sequebatur sed in omnibus elaborabat. Nam et in forensi eloquentia et in eo orationis genere, quod vocabatur demonstrativum, summis audientium studiis probabatur. Idem carmina omnis generis vel Græce vel Latine et dialogos, ut ait, philosophis probatos conscribebat [8]). De iis vero quæ ad naturæ cognitionem pertinent, multa et magna volumina se conscripsisse in illa de magia oratione testatur [9]). Attigit etiam historiam, quando et Xenophonti se confert et in oratione quadam se Carthaginiensibus historiam legisse commemorat [1]). Illius autem libri, qui inscribitur "Asinus" sive Metamorphoses, nunquam ipse mentionem fecit et qui in illis oratiunculis, quæ vocantur Florida, tantis se effert laudibus ut sibi videatur unus omnium optime Latine et scribere et loqui, idem "præfatur" in Metamorphosibus "veniam," si quid "sermonis exotici et forensis rudis locutor offenderit" [2]). Quum autem et ex illis ora-

---

[7]) Juv. Sat. VII. 148, 9.

[8]) Flor. XX. Apulejus vester novem Musas pari studio colit. Flor. IX. Plura mea exstant in Camoenis quam Hippiæ in opificis operibus. et. cet.

[9]) Apol. c. 56—59.

[1]) Flor. XVI.

[2]) Ap. Met. I. 1.

tionibus nonnullæ apud Romanos proconsules habitæ sint [3]) et narret Apulejus, se in foro Romano gloriosa patrocinia reddidisse, cui non in mentem venit verba illa, quæ retulimus, ita interpretari, ut statuat, Apulejum, quamvis Romanis auribus digna scribere posset, tamen parum eleganti sermone et dicendi genere usum fuisse, aut quo rebus, in quibus versatur ille liber, aptior esset oratio aut quod istud scriptionis genus curam et diligentiam non desideraret? Quorum utrumvis statuas, exoritur quæstio, unde habuerit Apulejus illud, quod parum elegans esset et Romanum. Nec, utrum recte conjiciatur, nisi perspecto libri illius ingenio et comparatis ceteris scriptis Apuleji judicari potest.

Sed quum ad elocutionem Apuleji multum interesse videatur, quid in quoque libro secutus sit, institutam commentationem in duas partes aptissime dividemus. Una erit, quæ in scribendi genere Apuleji versabitur, in qua erunt omnia ex ingenio institutoque scriptoris exquirenda. Huic parti adjungetur altera, in qua erit de Apuleji sermone Latino disputandum. In qua quum exposuerimus, quæ Latine scribendi ratio illius ætatis fuerit communis, tum intelligemus, quid Apulejus ex propria vel consuetudine vel licentia addiderit.

Atque quo facilius priorem illam partem explere possimus, non omnes Apuleji libros una opera complectetur disputatio nostra, sed in singulos dividetur. Quorum librorum quum illa oratio, quam Apulejus, magiæ accusatus, Sabratæ, oppido Africæ, habuit, et accuratæ scriptionis diligentia et sententiarum gravitate ceteris omnibus longe antecellat, ab hac potissimum ordiamur, inde ad illas transituri, in quibus præclaram dicendi facultatem aut negligentia videatur aut affectatio corrupisse.

[3]) Flor. XV. XVII.

Sed quoniam in eo maxime versamur, ut hunc Afrum scriptorem cum Romanis conferamus, altius videtur repetendum, quæ eo tempore, quo Apulejus in foro Romano causas ageret, illic viguerint in oratoria eloquentia studia et voluntates. Cui quæstioni ut possimus satisfacere, Frontonem adhibebimus et Gellium, testem utrumque locupletissimum. Nam ut alterius est sua ætas et eloquentiam admirata et secuta judicium, sic alter, quæ illa ætate vigerent artium literarumque studia, narravit simplicissime. Quæ studia quantum diversa fuerint ab illis, quæ autoribus Tacito, Quintiliano, Juvenale cognovimus, cuivis facile apparet. Quemadmodum enim apud scriptores ejus ætatis, quæ vocatur argentea, nullius rei sæpius mentio fit, quam recitationum declamationumque, quibus juvenes, eloquentiæ gloria incensi, eorum, qui audiebant, plausus captarent et admirationem, sic qui a Gellio commemorantur literarum studiosi Romani, eorum omnium studia, quæ quidem ad humanitatem et liberam animi oblectationem pertineant, quum in omni populi Romani antiquitate cognoscenda, tum in sermone priscorum carminibusque enarrandis maxime versantur. Etenim præcedenti ætate postquam vetus illa et oratoria eloquentia multis vitæ malis aut tacere didicit aut mentiri, aut certe non erat ea, quæ magnis rebus intenta et pollens fortis honestique civis gravitatem ad honores et potentiam proveheret, sed potius principum serviret sævitiæ et libidini, omnia eruditissimæ civitatis studia in rhetorum auditoria vel in umbram poeticæ vitæ confugerant. Optimus quisque Romanorum, quum esset et a publicis muneribus nimium otii et omnia vasta et incerta propter infestam tyrannorum rabiem, ex otiosis literarum studiis malorum solatium qûærebat et animi oblectationem. Neque sine causa fiebat ut in tragicis et tristibus argu-

mentis maxime versarentur. Quorum ante oculos foedissima facinora quotidie et impune patrabantur et omnem vitæ fortunam celerrima consequebatur mutatio, ii si vel in coena Thyestæ vel in mortibus aut Ciceronis aut tyrannorum describendis versabantur, non erat a vita abhorrens commentatio [4]). Scilicet quemadmodum narrantur ab Homero servæ Achillis, quum de morte Patrocli lamentari viderentur, suas quamque miserias deplorasse: sic illa ætas, quum de suis rebus loqui non auderet, ad Pelopidarum vel triumvirorum tempora suas transferebat querelas.

Quum igitur vitæ miseriæ et dira temporum spectacula illum orationis nimium tumorem inflaret tum eloquentia non ad vitæ usum sed ad voluptatem et ad ingenii doctrinæque ostentationem comparata in nimia luxuria deliciisque sibi placebat. Eadem si ex auditoriis ad forum et pugnam descendebat, morem inde sumptum afferebat. Nam veniebatur ad campum artis cancellis circumscriptum et qui magnam illam et gravem eloquentiam nec capere videretur nec postulare. Neque enim id agebat ut causam probaret judici, qui vi atque potestate, non lege et jure cognoscebat, neque, si populum aut miseratione commovebat aut indignatione, id ad causam quidquam poterat. Id unum oratori propositum erat, ut, si quemadmodum est apud Tacitum, cursu argumentorum et colore sententiarum et descriptionum nitore cultuque poetico, totius denique orationis lætitia eruditorum hominum admirationem assecutus esset, non solum in urbe sed etiam in provinciis doctus audiret et eloquens [5]). Sic fiebat, ut illa ætate, qua floreret poësis et rhetorum facundia, lingua vero Latina ad summam

---

[4]) Cfr. Tac. d. Or. c. 35. Sen. Rh. Suas.

[5]) Tac. l. c. c. 20.

gratiam cultumque eveheretur, oratoria et forensis eloquentia pressa temporum injuriis aut jaceret aut corrumperetur.

Sed postquam illorum temporum diritatem et tristitiam res lætiores et compositæ secutæ sunt, facta quidem est, ut omnium rerum, sic literarum eloquentiæque magna mutatio; sed neque antiqua libertas rediit nec mansit ingeniorum fecunditas. Tacitus quidem et Plinius, qui viri optimi et excellentibus ingeniis post mortem Domitiani prioris servitutis et præsentium bonorum prodiderunt memoriam, quum gaudeant ea temporum felicitate, qua homini Romano rursus cum aliqua libertate in republica versari et loqui liceat [6]), tum divinant in posterum quoque fractas esse et deminutas populi Romani vires. Testatur etiam Plinius, jam tunc artes literasque a celebritate auditoriorum et inveniendi felicitate ad secreti otii lectionem et commentationes recessisse [7]). Quum vero ad ea tempora ventum esset, quorum memoriam prodidit Gellius, remissis fere et rhetoricis [8]) studiis et poeticis, sola florebat res grammatica, quæ in antiquissimo quoque scriptorum Latinorum enarrando maxime versabatur [9]). Ut vero in illis priscis literis, quas narrat Suetonius [1]), quum longo tempore

---

[6]) Tac. Hist. II. id. agricola I. 3. Plinii Paneg.

[7]) Plin. Ep. I. 13.

[8]) Fronto de El. c. 8.

[9]) Gellius III. 1. Sallustius legitur et enarratur apud Favorinum, XVIII. 4. idem in Sandaliario apud librarios. XVI. 10. otium erat in foro et legebatur in consessu complurium Enni liber de analibus. XIX. 7.

Bis aut ter tantummodo a Gellio commemorantur recitationes vel declamationes ad populum. XVI. 6. (literator legit et enarrat Virgilium Brundusii). XVIII. 5. (Ennianista Puteolis annales Enni ad populum legit). XVI. 1.

[1]) Suet. de clar. Gramm.

intermissæ fuissent, primum a Valerio quodam Probo contractas et æqualium cognitioni fuisse, commendatas tantum studii operæque ponerent, id vel ideo factum est, quod ad leges antiquas cognoscendas maxima afferebant adjumenta, vel quod sermonis Latini varia notitia instruebant. Accedebat, quod id dicendi genus, quo usi essent antiqui, quum in omni sermone tum foro et causarum veritati aptior videbatur. Nam oratoria eloquentia, quemadmodum veteris reipublicæ luce et autoritate carebat, sic restitutis legibus et judiciis, postquam principes, omnia ut sibi subjiciendi sic tuendi cupidi, id agebant ut reipublicæ muneribus quam maxime occuparentur Romani, agere saltem cogebatur, non ludere [2]). Ei etiam eloquentiæ, quæ in panegyricis dicendis versabatur, apud eos principes, qui adulationem non admitterent [3]) et prioribus quam dissimillimos se vellent et esse et videri, magis coepit esse honori, si antiqua et incompta maturitate utebatur, quam si fucato dicendi genere vanas et immodicas laudes proferebat. Itaque fieri non poterat quin illa ætate, si esset, qui eloquentiæ daret operam, Gracchum et Sallustium quam Senecam et Eprium mallet imitari. Fuit quidem nihil inter se adeo dissimile, quam Sallustius, homo veteris reipublicæ acer et turbulentus, et Fronto homo otiosus et puerili ingenio [4]), nec vero cum Gracchо, viro forti et libertatis amantissimo, quidquam commune fuit Frontoni, assentatori omnium nequissimo [5]). Sed homo studiis rei grammaticæ et rhetoricæ unice deditus et in iis colendis diligentissimus, prudenter vide-

---

[2]) Vid. ex. gr. Jul. Capit. M. Antoninus XI. Bernhardy Röm. Lit. I. p. 55.

[3]) Ælius Spart. vita Hadr. c. 8. 9. 20.

[4]) Fronto de nepote amisso.

[5]) Cfr. Fronto, Principia Historiæ.

bat, quid ut simplex et rectum sua ætas sequi posset, quid ut nimia arte factum non posset. Certe igitur Fronto de suæ ætatis eloquentia non male merebat, si nec defuissent, qui, quæ rhetor bene et prudenter præcepisset, ea ad magnas res possent adhibere, et ipse modum non transgressus esset. Nam quum antiquorum non solum dicendi formam sed verba etiam ad imitandum proponeret, factum est, ut hoc ipsum, quod antiquam simplicitatem sequi jubebantur æquales, nimiæ artis esset et vani laboris. Atque nimirum ille rhetor, quid in eleganti sermone liceret, ex sui ingenii siccitate, non ex ubertate lætioris ingenii judicabat. Est enim multus in vituperando Seneca et si qui huic simile dicendi genus attulerunt. Vituperat verborum collocationem fractam et mollem, irridet verborum easdem res significantium inanem turbam atque ineptas argutias. Nihil vero est, quod in illis scriptoribus tantopere exagitaverit, quam quod similitudinum aut longius ductarum aut certe inutilium nimia copia omnem orationem, quum distinguere vellent, corrupissent [6]). Qua in re Fronto tanta utitur severitate, ut in oratione, quam recenset, Marci imperatoris imagines verborum vel modestissimas reprehendat [7]). His igitur declinatis vitiis jubet discipulum semper rerum gravitati orationem accommodare neque aut in verbis immutandis audaciorem esse aut in sententiarum serie præfractiorem, denique ubicunque fieri possit, communem reddere sermonem et sincerum vetustatis colorem orationi appingere [8]). Quod ut assequatur, ut quisque antiquorum maxime modeste et quasi sobrie scripserit, ita eum maxime disci-

---

[6]) Fronto Ep. de orat. IV. 3.

[7]) Ep. de orat. ad M. Ant. IV. 3.

[8]) Front. Principia Hist.

pulo et legi vult et imitando exprimi. Atque quemadmodum in historia non solum illud Sallustianum genus, dulce illud quidem et Latinum, ut nihil magis, sed tenue et solutum, et summis extollit laudibus et inepte imitatur [9]), sed Claudio etiam Quadrigario vehementer ait se delectari [1]), in poësi vero, quæ in prioris ætatis cultu ac nitore nimia fuerint, ea æquales censet sic optime fugere posse, si ad simplicitatem Plautini leporis et duram Enni tanquam virilitatem se retulerint, sic in oratoria eloquentia Ciceroni addit et Gracchum et Catonem. Scilicet Ciceronem unum omnium Romanorum eloquentissimum fuisse [2]), sed cujus in dicendo majestate et ornamentis non in omni sermone uti deceret. Revertendum igitur esse ad priscos illos scriptores, in quibus virtutes Latinæ dictionis nudæ et nullis ornamentis involutæ cernerentur. Qua in re et rerum temporisque rationem esse habendam et quo in genere quisque antiquorum maxime elaborasset, in eo hunc potissimum imitandum [3]). Ipse Fronto dicendi genus attulit pressum et elegans et, ubi sit res idonea, de qua dicere possit, satis disertum [4]). Nam in epistolis quantopere ad Ciceronis exemplum se accommodaverit satis apparet et licet conjicere, qui "in tenuioribus" [5]) ita

---

[9]) In Princ. Histor.

[1]) Gell. XII. 29.

[2]) Hoc in judicio Fronto et Gellius cum M. Seneca, vellejo Paterculo et Quintiliano consentiunt. Fr. de El. 4. M. Tullius summum supremumque os Romanæ linguæ fuit. Cfr. de bello Parth. p. 112. (Ed. Niebuhr). Gell. XVII. 1. X. 111. vell. I. 17. M. Senec. præf. ad Suas.

[3]) Quæ in historia scripsit Fronto, epistolis dissimillima sunt.

[4]) Vid. Ep. ad T. Anton.

[5]) Remissioribus et Tullianis (och på samma gång T.?) Cfr. Maium ad hunc locum.

loquatur, eum "in sublimioribus" Ciceronianam magnificentiam satis feliciter potuisse imitari.

Ab hujus igitur rhetoris institutis et judicio, qui, quum in Africa natus esset, Romæ totam ætatem degit et usque ad consularem dignitatem evectus est, non abhorret id dicendi genus, quo in illa de Magia oratione usus est Apulejus. In qua neque est sane plenam et amplam eloquentiam consectatus et tamen boni et elegantis oratoris laudem assecutus. Quum enim ex hac oratione apparet, id quod ex Floridis haud facile quisquam suspicatus sit, Apulejum magna probitate nec mediocri prudentia hominem fuisse, qui sua fretus innocentia malitiæ adversariorum constanti animo posset occurrere eorumque ineptias et satis callide diluere et facete exagitare, tum ipsa dicendi ratio simplicitatem quandam habet et maturitatem. Totus in causa versatur neque aut longa principia defensioni præstruit aut crebris sententiis aciem mentium præstringit aliove transfert animos. Idem narrat simpliciter, presse et dilucide rationes concludit, queritur interdum acerbe et grandiloquentius, sed ita ut omnia vero dolore expressa, non ad ostenstandum ficta videantur. Atque ut in sententiis omnia bene præparata et quasi munita procedunt, sic in verbis leniter fluunt omnia, ut secuta, non quæsita videantur. Verbis utitur propriis et antiquis eaque nec audacius immutat et ita collocat, ut et dura absit negligentia et ostentandi suspicio vitetur. Neque uno verborum ambitu multas et ornamentis expletas complectitur sententias, sed brevibus et pressis continuationibus omnem orationem et facile struit et apte concludit. Denique totum dicendi genus id est, quod ad elegantis sermonis similitudinem maxime accommodatum videatur.

Neque tamen desunt loci, qui ab hac elegantia tu-

mido et minus sincero dicendi genere differant. Quod Apulejo tum maxime accidit, quum relicta argumentandi narrandique serie ad descriptiones digreditur, vel quum commota dolore concitatior fertur oratio. Quantopere autem Apuleji eloquentiam doctrinæque copiam admirati sint populares, inde vel maxime apparet, quod in forensi disceptatione, quo causam suam probet et crimina ab adversariis illata infringat, versus suos et mollissimos recitat locosque ex philosophia petitos ita inserit, ut auditoribus gratum id facere videatur. Jam vero, quod in mores adversariorum acerbius invehitur, ejus est, qui, quemadmodum sibi nullius culpæ conscius sit, sic exploratum habeat, neminem de se quidquam mali suspicari. Huc igitur quum se intulit Apulejus, quasi ad novum orationis genus transgressus, multa verba interdum, quæ aut similes res aut contrarias significant, colligit itaque componit, ut aut paria paribus referantur aut jungantur aliquo modo ea, quæ similiter sonant. Sed ut justus dolor est, neque sine causa a proposito aberrat oratio, sic, ut in elaborata dictione, et modus adhibetur neque arti et argutiis condonatur sermonis elegantia.

Atque si volemus considerare, quo loco quoque tempore habita sit hæc oratio, nimirum res ipsa postulasse videbitur, ut eo uteretur dicendi genere, quod et a vulgi vitiosa consuetudine, et ab artis jactatione abesset quam longissime. Erant enim Apulejo, homini philosopho, non verborum cultu et festivitate otiosi auditores oblectandi, sed sua causa dicenda. Agebatur res in oppido remotæ provinciæ, ubi ii adversarii repellendi erant, qui Latine loqui vix possent [6]), et aderat corona hominum forsitan mediocriter eruditorum, præerat autem judicio Claudius

[6]) Apol. c. 93.

Maximus, Proconsul Romanus [7]). Apud quos quum accusatores barbare et rustice locuti essent, si Apulejus ostendit, optime Latine se posse et pronuntiare et loqui, elegans visus est et disertus; sin vero aut verba ex priscis scriptoribus obsoleta et inusitata inculcasset, aut in iis conjungendis ab usu prosæ orationis nimium decessisset, aut denique quidquam vel obscurum visum esset vel ostentandi causa factum, et a simplici rei severitate et a dignitate philosophi abhorruisset oratio. Accedebat, quod, quum et vitæ et literarum delicias accusassent adversarii, Apulejo opera danda erat, ut quum moribus tum oratione simplex et modestus videretur. Prorsus igitur ita eum loqui oportebat, ut et Afris et, quantum fieri posset, Romano homini elegantem et communem sermonem videretur reddere et tamen, qui ita se sperarent dicere posse, aut pauci adessent aut nemo. Quod si quando aut ira aut aliquo dolore commotus verba fundit horridiora vel tumore dictionis insurgit, tum maxime communem morem secutus videtur, neque tragicorum vel comicorum quæsisse similitudinem, ut et intellecta ferirent omnia, neve in justo dolore esset, quod arte fictum videretur.

Si igitur in hac oratione omnia vera sunt et incorrupta, et tamen omnis oratio antiqua est, apparet, et antiquorum sermonem quodammodo in scribendi usum rediisse, et Apulejum, in hac antiquorum imitatione certos autores cum judicio secutum, sermonis elegantiam cum antiquitate conjungere voluisse. Habemus igitur hanc orationem quasi regulam, qua ceteros libros Apuleji metiri liceat.

Sed quoniam vidimus, qualis fuerit Apulejus in forensi eloquentia, jam ad ea veniamus, quæ in demon-

---

[7]) Apol. I.

strativo orationis genere versantur. Cujus generis facultatem Apulejus non Roma, sed ex Græcia vel potius ex Asia [8]) deportasse videtur. Apud Græcos enim constat circa Hadriani et Antoninorum tempora summa gloria et autoritate floruisse eos, quos Sophistas minores sive secundos appellat Philostratus [9]), quos narrat vel in auditoriis adolescentes undique congregatos ad eloquentiam instituisse vel in theatris prodiisse [1]) ad populum vel in in festis Græcorum sollennes orationes habuisse [2]). Erant etiam, qui aut ad Cæsares obirent legationes aut multas peragrantes terras undique laudem et eloquentiæ famam sibi compararent [3]). Quorum rationem, quæ quidem ad privatam oblectationem magis quam ad publicam sollennitatem pertineret, ita definit Philostratus ut dicat, hos Sophistas, non, ut illos veteres, in philosophia, sed in hominibus omnis generis atque fortunæ describendis et in argumentis, quæ ex historia sumerentur, versatos fuisse [4]). Atque quemadmodum erat hæe Sophistarum eloquentia in antiquis imitandis posita, ut qui non solum ex illis scriptoribus formam orationis et colorem ducerent sed verba etiam et locutiones tædioso ediscerent labore [5]), sic ex antiqua et gloriosa Græcorum historia maxime sumebantur argumenta. Philostratus quidem, quum plurima Sophistarum argumenta enumerat, inter tot, ex illa historia petita, pauca commemorat, quæ

---

[8]) Ad Asiam enim venisse Apulejum, ex Flor. XV. intelligitur.

[9]) Philostr. Vitæ Sophistarum. Ed. Kayser. p. 5.

[1]) l. c. 82.

[2]) l. c. 111.

[3]) l. c. 50. 88. Lucian. Bis. accus.

[4]) Philostr. p. 5.

[5]) Philostr. p. 113. *Ὅμηρος πατήρ τῆς σοφιστείας, τραγῳδία μητήρ, -πνεύμα Ἀρχίλοχος.* Cfr. Phil. p. 51. Luc. Rhet. Doct. c. 9.

in locis communibus versentur. Quanto enim studio et amore hæc Græca ætas, Plutarchi, credo, ducta exemplo, veterum et illustrium temporum recoluerit memoriam, vel ex Luciani "Demosthene" apparet, quo nihil in illo genere suavius est. Narrat idem Lucianus etiam rudes et indoctos sophistas Atheniensibus se probari existimasse, si jactarent multa de Xerxe fugiente et de Marathone [6]. Atque in hoc genere non solum oratio sed vox etiam et gestus ad personarum mores accommodabantur, ut, id quod erat argumentum pervulgare, qui causam Demosthenis ageret, totum Demosthenem quasi induxisse videatur. Jam vero magnum campum habebant locorum, picturarum, signorum descriptiones [7]. Erat igitur hæc Sophistarum ratio inter poësin et prosam eloquentiam quasi interjecta, quippe quæ et rebus tragoediam et comoediam attingeret et in verbis numerisque poetarum similitudinem sequeretur [8]. Sed qui in hac re subtilius versabantur, rerum gravitati diligenter accommodabant orationem, ut, quum semper eleganti sermone uterentur, de levibus rebus summisse, ample de gravibus dicerent.

Nam cognovimus vel ex Philostrato vel ex Luciano, duo omnino Sophisticæ dictionis genera floruisse. Quorum qui alterum sequebantur, in subtili et severa veterum Atticorum imitatione versati sunt. De qua ita loquitur Lucianus, ut quamvis hoc genus unice probet, tamen id senile quiddam nec satis tempori aptum habuisse significet [9]. Alteri autem non tam ullos certos

---

[6]) Luc. Rhet. doct. 10.

[7]) Cfr. Phil. p. 97.

[8]) Philostr. p. 13.

[9]) Lucian. Rhet. doct. 9. 10; (*ἐν εἰρήνῃ μητε Φιλίππου ἐπιόντος μήτε Ἀλεξάνδρου ἐπιτάττοντος*).

autores sequebantur, quam novo et tumido et lascivo dicendi genere auditorum aures permulcere studebant. Quod ut assequerentur, et verbis antiquis et Atticis cum inepta ostentatione utebantur et nova licentius fingebant[1]). Est apud eundem Lucianum[2]), hujusmodi sophistas, quum in antiquis imitandis inepte versarentur neque ex historia rerum veritatem sed oblectationem requirerent, ipsos, si quando simularent sese rerum gestarum memoriam componere velle, fabulas effecisse. Quum igitur solis fabulis delectaretur illa ætas, mox a rebus factis[3]) recedentes, in fictis et ab omni veritate remotis versabantur. Nam ab illo inde tempore recoli coeptum est illud genus fabularum, quæ vocabantur Milesiæ, quæ apud recentiores Græcos et historiæ vicibus quodammodo fungebantur et poesis.

Sed, ut ad Latinos revertamur, quemadmodum in Frontone est, quod cum Atticis illis rhetoribus conferri possit, sic cum iis, quos irridet Lucianus, novis Sophistis Apulejo multa sunt communia. Hic tamen Afer, quemadmodum eloquentiam non docuit, ut qui "in splendidissima Romana colonia, patre loco principis duumvirali natus, ejus locum pari honore et existimatione tueretur"[4]), sic non sophistam sed philosophum se et esse et appellari voluit. Quamvis multarum artium facultate glorietur, tamen nisi philosophis nemini se unquam comparat[5]). Idem nonnunquam excusat, quod, cum philosophus sit, verba facit in theatro. Sed quemadmodum non unam philosophiæ disciplinam ita amplexus erat, ut

---

[1]) l. c. cap. 17.

[2]) De historia conscribenda.

[3]) L. c. Fuit etiam qui de futuro bello historiam scriberet.

[4]) Apol. cap. 24.

[5]) Flor. XX.

ceteras improbaret sed in magna Socratis familia et Stoicis locum tribuit et Cynicis, eos tantummodo impugnans, qui omnem philosophiam contemnerent, sic rhetoris declamationem cum disputatione philosophi conjunxisse videtur, quo præcepta philosophiæ, si Græca vel potius Asiatica commendarentur eloquentia, gratiora ad aures popularium pervenirent. Quamquam vereor, ut tam honesto ductus sit consilio. Nihil est enim philosophi aut modestia aut gravitate indignius quam istæ oratiunculæ, in quibus summa artis ostentatio cernitur, in quibus omnibus se ipsum immodicis laudibus extollit, adulatur præsides provinciæ, provinciales autem quamvis eruditissimos appellet, tamen cum quadam arrogantia accipit [6]) maximoque honore afficere sibi videtur, quod sese "illorum Apulejum" ubique ferat, apud quos primis disciplinis imbutus sit et "sectam inchoaverit." Neque enim usquam fere principes illos Africæ viros, ita alloquitur, tanquam de arte judicare possint, sed comiter et benigne de sua copia depromit, quibus stupentium hominum aures et animos permulceat, ut videatur Apulejus, quum in remotam provinciam, ubi professiones non secretæ essent, novum et inauditum orationis genus transtulisset, nullo æmulante, facilem palmam decerpsisse.

Versantur hæ oratiunculæ vel orationum partes avulsæ maxime in philosophia commendanda vel in gratiis proconsulibus et Carthaginiensium senatui agendis. Digreditur vero orator sæpissime ad locorum situs vel artificum opera describenda et ad narrandas fabulas. In quibus quorum hominum mentio injicitur, hi omnes aut philosophi sunt aut saltem ii qui literarum artiumque gloria excelluerint; qui in republica Romana clari exsti-

[6]) Cfr. Luc. Rhet. doc. c. 19: si "laudare nolint, irascere et funde convicia — tota res tyrannis sit." Ap. Flor. IX. (init.).

terunt et illustres, eorum neminem commemoratum invenias. Ex quo apparet, literis quidem Latinis Afros excultos fuisse, historiam vero Romanorum, ut alienam, nullo studio et amore amplexos. Et quemadmodum Apulejus numquam in argumentis, Græcorum more ex historia sumptis, versatur, sic communes locos nunquam ea venustate tractat, qua scripta est illa Luciani commentatio, quam "Laudem Patriæ" inscripsit. De Apulejo philosopho et de philosophia omnis est oratio.

Atque ut cum illo Luciano Apulejum comparemus, is oratiunculas, quæ Floridis simillima ad nostram ætatem pervenerunt, Herodotum dico et Zeuxin et quæ sunt ejusdem generis, tam mira simplicitatis gratia scripsit, ut quum dicendi arte delectet, non nisi communi et quotidiano sermone fabulari videatur. Et tamen in illa simplitate non inopinatam inventionis novitatem sed artem et antiquum sermonis colorem ab auditoribus spectari vult et laudari [7]). Apulejus vero, ut, quum in eodem genere versaretur, quo Lucianus, huic tantopere dissimilis fieret, id effecit non solum, quod Lucianus Atticos, Asiaticos vero Apulejus imitatus est, sed maxime, quod hic apud homines minus politi sincerique judicii dixit, et ipse in ejusmodi sermone lepidus et festivus magis quam elegans vel voluit esse vel potuit. Artem severe exigebant Græci et operum colores diligenter servatos volebant, ut aspernarentur si quid aut in levi re tumide aut in gravi ridicule dictum esset: Afri vero nihil nisi aurium oblectationem requisisse videntur. Quali igitur Apuleji sui dicendi genere oblectati sint, breviter videamus.

Apparet in his orationibus Apulejum verbis collocandis atque numeris summam diligentiam adhibuisse, ne

---

[7]) Luc. Zeuxis.

quid asperum esset aut obscurum neve quod longiore verborum ambitu aures mentesque fatigaret, sed ut omnia lemiter fluerent, caderent apte, membris crebrisque luminibus distinguerentur. Quo in genere sunt nonnulla et descripta venuste et præclare narrata. Sed plerumque, dum illud duræ et lentæ orationis vitium anxie cavet, in contrarium delapsus dicendi genere pleno argutiarum et ineptiis corrupto utitur. Infringitur enim ac dissolvitur omnis oratio in membra minutissima, quæ nisi levi copulandi particula non cohærent et puerili quadam verborum concinnitate invicem sibi respondent. Cujus rei quamvis iis, qui in illo epidictico orationis genere versarentur, major et quasi propria [8]) concederetur licentia, ut palam et aperte hujusmodi delicias consectarentur, tamen Apulejus, omnem elegantis sermonis modum transgressus, ea dictione usus videtur, quæ nisi ab hominibus provincialibus et parum subtilis judicii ferri non posset. Quum enim ea, quam diximus, concinnitas tribus rebus maxime cernatur, si aut totæ enunciationes verba verbis quasi demensa et pariter relata habent, aut clausulæ cadunt similiter aut denique aliquo modo contraria contrariis vel similiter sonantibus similia junguntur, dici vix potest, quam sit in his omnibus creber et nimius Apulejus, qui interdum omnem orationem struit ex istis figuris, quas varias commemorant rhetores [9]). Quarum ea, quæ in membris pariter relatis consistit, gravitati orationis et contentioni apta apud Ciceronem frequentissima est, ubi tamen neque sine aliquo sententiæ pondere adhibetur et molesta similitudo callida vitatur structura. Ea autem, quæ in similibus vel contrariis colligendis cerni-

[8]) Cic. Or. XII. Philostr. p. 21.

[9]) Cic. or. XII. id. de or. III. 54. Quint. VIII. 4.

tur, in libris Luciani non tam ornatui inservit quam quotidiani et citati sermonis reddit loquacitatem. Ad comicorum denique similitudinem accedunt eæ argutiæ, quæ in sonis similibus vertuntur [1]).

His deliciis referta [2]) Florida Apuleji prorsus in eo genere Asiaticæ dictionis versantur, quod dicit Cicero non tam sententiis frequentatum fuisse quam exornato et faceto genere verborum volucre et incitatum [3]). Nam et ubi rerum varietas non est, verba variantur [4]), et, si desunt verba, aut nova finguntur aut licenter immutantur vetera. Neque enim potest dubitari, quin hæc ipsa verborum concinnitas multa aut novandi aut immutandi attulerit necessitatem [5]), quum poetæ numerorum modorumque leges non observent religiosius, quam Apulejus, ubicunque rem describere vult, hac argutiarum lege sese astringit. Cui ut obtemperari possit, quidquid deliciis datur, id sermonis elegantiæ et sanitati detrahitur. Hoc dicendi genere utens Apulejus nescio an non solum nobis ridiculus videatur, sed ipse eorum, qui audiebant, risus captaverit. Philosophus enim, qui ipse sibi ridiculus videbatur, quod in loco funirepis quam philosophis digniore ad dicendum prodibat, non serio sed jocose in hoc genere versatus esse videtur. Erat is homo, qui in pro-

---

[1]) πάρισα: in sarculo et surculo Flor. XV. auditorii coetum et auditionis cœptum. XVI p. 64. ante lectum quam lectum, fata quam fanda XVI. 68.

[2]) ἰσόκωλα XVII. 82. 81. ὁμοιοτέλευτα XVI. p. 63. 64. De Deo Socratis. Prologus et c. IV.

[3]) Cic. Brut. 95. p. 325.

[4]) Passis verbis, libera oratione soluto locutu. Flor. XV. p. 352.

[5]) Hinc illa nominum congeries: pavimenti marmoratio, proscenii contabulatio, scenæ columnatio; culminum eminentia, lacunarium refulgentia, sedilium circumferentia Flor. XVIII. — tuba significatu longinquior, Hippias annulo conspicatus (= conspicuus). Flor. IX.

vinciali oppido vel hospes in urbe Carthagine otiosis et severis artium studiis totum se daret. Idem, quum vana laudis cupiditate eo raperetur, ut in illo Sophistico genere publice diceret, quasi comicam personam sibi imposuisse videtur. Quamvis enim is fuerit, qui mira celeritate in omnia verteretur, tamen, qui satis eleganter Latine dicere posset, in illis argutiis vere eloquens sibi videri non potuit.

Neque hic orationis color multum differt ab illo, qui est in metamorphosibus. ubi sophista, quum ridiculam sustineat personam, semper quasi suo nomine risus captat auditorum et admirationem. Quæ quasi scena orationi substituta, quum videri possit non solum ad dicendi genus sed etiam ad Latinum sermonem, qui est in Metamorphosibus magnam vim habuisse, considerandum est, quo in scriptionis genere versetur iste Milesius sermo.

Nam quum quispiam suspicari possit, Apulejum in hoc libro vulgarem quandam et Africanam loquendi consuetudinem secutum esse, quo, quum in levibus rebus versarentur omnia et sordidæ personæ loquentes inducerentur, his aptior fieret sermo, quæritur, num tota fabulæ ratio ea sit, quæ ad morum et hominum veritatem quandam exprimendam accommodata videatur. Cujus generis in Latinis literis exemplum habemus Petronium, cujus Satirica, maxime vero illa pars, quæ coena Trimalchionis inscribitur, tota in ridiculis et depravatis hominibus quasi describendis posita est. In qua quum omnia, quæ fiunt, hominum moribus et personis diligenter accommodentur, tum eo sermone utuntur omnes, qui cujusque maxime proprius videtur. Omnes quotidiani et remissi sermonis convivali licentia utuntur et tamen multum interest, utrum loquatur rusticus, catus et comis, an urbanus scurra, tumida de foro convicia jactans, an flebilis ille nebulo Tri-

malchio. Tota hæc Petronii ratio ita est ridicula, si exprimat naturam. Plurima enim sunt, quæ nec fingere potuerit aut Petronius aut Encolpius, et frigida sint, si sint ficta, non ex quadam veritate sumta ad hominum mores describendos pertineant. Nam soloecismi quidem et sermonis genus rude atque inconditum per se ridiculi nihil habent. Abundat vero oratio dictis et comparationibus, quas fieri non possit, quin de vulgari quadam loquendi consuetudine sumpserit. Atque ut possint multa, quæ in Petronii Satyricis ab eleganti scribendi more recedunt, omnis impoliti sermonis communia videri, tamen necesse est universum genus ita certæ cujusdam regionis proprium fuisse, ut si in Puteolos cadat vel Neapolin, in provincias cadere non possit. Si igitur Apulejus, idem secutus, quod Petronius, ut ridiculorum hominum veram exprimeret imaginem, Æmiliani [6]) vel saltem Rufini et Crassi [7]) sermone Latino uti voluisset, genere forsitan Petronio similis esse debebat, in singulis non poterat.

Sed quam dissimilis sit Petronio Apulejus ex ipsis personis Encolpii et Lucii inter se comparatis apparet. Nam Encolpius, qui a Petronio res narrans inducitur, quemadmodum is fingitur homo, quo in magna perditissimorum turba nemo sit magis perditus, sic cum autore libri nihil habet commune. Ut Agamemnon et Trimalchio, sic Encolpius suam sustinet personam suasque agit fabulæ partes. Autor fabulæ numquam ad spectatores prodit sed extra scenam consistens omnia aut irridet aut damnat.

At in Metamorphosibus Apuleji Sophista, quo "suum periclitetur ingenium et benevolas aures lepido susurro

---

[6]) Apol. 1.

[7]) Apol. 57, 75.

permulceat," coram spectatoribus ipsi sibi ridiculam imponit personam, fingens se juvenem, bonis artibus instructum, qui, post libidinosam vitam in asinum mutatus, multa et mira viderit atque expertus sit. Quum igitur hæc sit fabulæ quasi perpetua scena, ut Sophista, personam alienam sed suæ comsimilem agens ipse ad spectatores prodeat, et narrentur ea, quæ aut fieri omnino non possint aut certe ipse a se facta nolit, ad narrantis sophistæ personam et ad eorum, qui audiunt oblectationem, accommodatur oratio, non ad rerum veritatem eorumque hominum mores, qui in fabula loquentes inducuntur. Qua in oratione neque leves et sordidæ res suum servant colorem; nam ut ridiculæ videantur eo ipso assequitur sophista, quod aut magna dicendi contentione ab ipso narrantur aut eo sermone utuntur personæ, quo eos uti per se absurdum sit, neque in rebus severis et pulchris serio versari potest, cum, sive in Lucium mutatus est sive in asinum, semper ridiculam sustineat personam. Sive igitur latrones [8]) et bubulci loquentes inducuntur, tumide loquuntur ii et prorsus ut rhetores, sive in medio cursu Lucii vel Asini ad pulchras rerum descriptiones digreditur Sophista, semper cavet, ne obliviscantur lectores, ludicram rem agi, non seriam [9]).

Atque Lucianus quidem, sive alius quis illam de asino fabulam invenit, ad res se totum accommodat nec interest quidquam, utrum "Lucius fabularum scriptor" an alius quispiam in ridendis illis miseriis versetur, quum præter nomen nihil habeat fabula, quod cujusquam proprium videatur. Scriptor, quum Lucii personam induit, suam prorsus ponit, et, si fuit Lucianus, nihil in opere

---

8) Met. IV. 9—22.
9) II. 4. X. 33.

suo dilexit, nisi sermonem purum et atticum. Itaque, quamquam in sua persona loquitur, tamen tota res satira esse videtur, acerbo sale in alios scripta. Nihil vero ab ingenio et instituto Apuleji tam alienum fuit, quam satiram scribere, in qua, alienis moribus callide observatis, ipse, aut, quid de re sentiret, omnino dissimularet aut severe castigaret omnia. Immo vero ipse semper toto animo adest nec præter se quemquam loqui patitur. Versatur in mediis rebus, non ut severus existimator, sed ut narrator fabularum, qui quum a rerum serie non recedat, tamen ad suum ingenium transfert omnia. Quidquid enim poeta Apulejus potuit, quidquid philosophus, ad hunc librum conscribendum ita attulit, ut videatur mirus ille homo, quum et philosophiam et poesin ardenti amore amplecteretur, tamen in utraque re sophista mansisse, qui nec in ulla re satis severe versaretur nec quidquam cum constanti judicio irridere posset. Quæ igitur Lucianus horrida simplicitate narravit, ea Apulejus propriis et quam potuit venutissimis tinxit coloribus, sive in suavissimis rebus versatur oratio sive in foedissimis. Quo fit, ut quæ de Lucii amoribus narrantur, foediora sint apud Apulejum, quam in Luciani Asino, quia ad "Scholastici" personam ita diligenter accommodantur, ut Sophista nimium de suis moribus immiscuisse videatur. Nimis enim vera ejus hominis exprimitur imago, qui multis initiatus mysteriis [1]) et variis optimisque literis institutus, tamen levitate animi et lubricæ ætatis vitio ad libidines delabatur. Fit autem, quia scenica persona cum ea, quæ in vita narratoris fuit, nimiam habet similitudinem, ut oblitus, quam ante egerit, suam personam aperte agat et suo nomine loquatur [2]). Nam certe habuit illa de Lucio fa-

[1]) II. 15.

[2]) XI.

bula, quod Apulejo suam vitam attingere videretur, non quo ipse, quum Mysteriis initiatus esset, a turpi vita ad honestatem et religionem conversus fuissst sed quod non sine causa levi illi et curioso adolescenti ipsum se, quum scriberet, sensit similem esse. Quemadmodum enim ille adolescens, bene eruditus et discendi cupidus, puerili miracula videndi cupiditate in Thessalia detinebatur, sic Apulejus, quum magna cum exspectatione spectaculorum mirabilium ex barbariæ confiniis in Græciam profectus esset, non minus fortasse Græcæ vitæ elegantia et deliciis abreptus fuerat, quam philosophiæ omniumque artium amore inflammatus et initiatus variis Mysteriis. Idem ex Græcia reversus, quum Romæ degens ad has fabulas, quas in illa terra aut legisset aut audivisset [3]), conscribendas aggrederetur, temporis jucundi et suaviter acti quodammodo recoluit memoriam. Nam Metamorphosin Romæ scriptam esse [4]), ex eo ipso conjicere licet quod Lucius Romæ se fabulam narrare fingit. Certe enim, a quibus veniam petit, si rudi sermone offenderit, ii indigenæ Quirites fuerint necesse est, et in extremo libro undecimo ipse dicit, se, dum scribat, Romæ versari [5]). Quod enim dicit: istam urbem accedo, id est hanc, in qua nunc sum. Afri enim scriptores, ubicunque res præsens monstratur, "isto" pronomine utuntur [6]). Præterea totum hoc scriptionis genus in eum cadit potius, qui juvenili et remisso animo, quum peregre versaretur, suo ingenio, qualecunque esset, liberas quasi remiserit habenas, quam in eum, qui in patria, severi philosophi agens personam,

---

[3]) Met. I. 1. Fabulam Græcanicam incipimus.

[4]) Vid. quæ de hac re attulit Hildebrand. Prolegomena. p. XXVI.

[5]) Met. XI. 26.

[6]) Met. VI. 22. Istud meum pectus. Tert. de Pallio II. Quantum reformavit orbis seculum istud.

famæ et existimationi popularium servierit. Itaque, quum is esset, qui ipse nihil posset invenire sed semper ex suo ingenio in alienis versaretur, Luciani vel Lucii libello tanquam forma usus, qua picturam includeret, varias conseruit fabulas, in quibus, quum rerum traditarum sequeretur seriem, tamen ita narravit omnia, ut quasi imbuerentur eo colore, quo in illa terra res omnes visæ essent curioso illi adolescenti, qui "nihil id esse crederet, quod esset." Neque sui oblitus est, quod, quum Græcis disciplinis institutus inter Romanos versaretur, Lucium finxit Græcum hominem, quidquid clarum et illustre haberent felices illæ terræ, cognatione attingentem. Hinc factum est, ut in ceteris partibus hominum moribus contraria fieret oratio, quæ vero dicerentur a Lucio homine, omnia ad mores personæ accommodarentur. Hujus enim levitati convenit, in re turpi sollenni illa formula [7]) ridicule uti et, quum de quæstione ad gravem philosophiam pertinenti diseruisset, paullo post, quum in re voluptaria versaretur oratio, poetico verborum cultu omnia exornare [8]). Omnia denique, quæ Hypatæ fiunt, quemadmodum illi de Lucio fabulæ callide intexuntur, sic res ridiculas suo colore imbutas quodammodo exprimunt. Neque tamen hoc satis constanter fit et semper potius cernas Sophistam artem ostentantem, qua res et homines describere possit, quam rem ipsam agi et personas loqui. Ubi vero in asinum mutatus est Lucius, variæ fabulæ conjectæ nullo inter se continentur societatis vinculo, nisi quod narrantur ab eodem Sophista, qui sive res levis sit sive seria, ut ridicula videatur, laborat, modo tumido ludens dicendi genere, modo lascivo.

Plutarchi vero genere quod se ortum fingit Apu-

---

[7]) Quod bonum et. cet. II. 6.

[8]) II. 12.

lejus [9]), id videtur significare voluisse, se in mysteriis colendis illum philosophum ducem atque autorem secutum esse. Nam inter ea, quæ multa et mira in Græcia viderat Apulejus, præcipuum locum tenuerunt mysteria, quibus fieri non potuerat, quin juvenis discendi cupidus et acri ingenio, et alliceretur et visis caperetur. Sed tantum abest, ut Apulejus, quum illa scriberet, Mysteria æqualibus commendare studuerit, ut quemadmodum omnia, sic ea, quæ de sacris narrantur, quum invenisset ut poeta, ad lectores eadem ridicula indutus persona protulerit. Ita enim descripsit omnia, quasi ipse in noctis silentio et imminente luna, quum postero die foret, ut mysteriis initiaretur, in amaeno sinus Saronici litore ambulasset et mox, exorto die, lætis hominum turbis immixtus, sollemnem pompam esset prosecutus. Sed eadem est in hac parte, quæ in ceteris, ridiculi captatio [1]). Quod si vere dicitur Apulejus in primo libro undecimo Lucii personam cum sua quasi tacite commutasse, tamen, quod, qui paullo ante, quasi sit Patrensis, parentes et familiares "ad suum conspectum" dicit festinasse, is repente Madaurensem se se esse confitetur [2]), hæc nova et absurda metamorphosis ita comparata est, ut Apulejus eam a lectoribus rideri voluerit. Atque poterat sane Apulejus illis, qualescunque fuerunt, Mysteriorum imaginibus ad honestas et severas cogitationes excitari; poterat et sentire et docere, homines "erroribus et vitiis immane efferatos" [3]) pie Deum colendo et honesta vita ad humanitatem restituendos esse; certe is non erat, qui posset sibi persuadere, Deorum species sibi fuisse oblatas. Hæc vero de se fingere

[9]) I. 2.

[1]) XI. 14. 16. p. 781. 784.

[2]) Met. XI. 18. 27.

[3]) De Deo Socr. c. III.

in hujusmodi libro, quum ipse in procerum domos receptus [4]) eorum oblectationi se daret, non erat ejus, qui poeticæ inventionis suavitate vera et honesta æqualibus commendare studeret. Quæ quæ ita sint, apparet, Metamorphoseon scriptorem et in rebus et in sermone libere et suo animo indulgentem semper ita ludere, ut potest nemo, nisi qui, multa et præclara studio et amore amplexus, nihil nolit ad ludendum adhibere.

Si igitur hic est totius libri quasi habitus et color, quali dicendi genere usus sit Apulejus, in singulis videamus. Atque si has Metamorphoses cum iis conferas, quæ in Luciani libello leguntur, apparet Apulejum semper id egisse, ut omnia pleniora redderet et majora et quæ res oculis legentium quasi subjicerent. Quæ Lucianus breviter et simpliciter narravit, ea Apulejus ornatis descriptionibus quasi dilatat. Sive in Thessaliam proficiscitur Lucius, non potest facere, quin describat, qualis via fuerit, qui comites, quo denique colore equus; sive in amphitheatrum asinus deducitur, in spectaculis narrandis diu detinetur. Hanc rerum rationem secutum est dicendi genus, quum opimum et quasi exaggeratum, tum semper in ridicula quadam contentione positum. Quamvis Apulejus a nulla re longius absit, quam a Frontoniana diligentia, ut qui non minori properatione et licentia, quam oblectandi studio scripserit, tamen suo ingenio eo delatus est, ut Frontonis illa præcepta quodammodo sequeretur, quibus jubetur discipulus "omnia de vulgaribus elegantia, de contaminatis nova reddere, imaginem aliquam accommodare, figuram injicere" [5]). Quamquam apparet, Frontonem nihil magis improbaturum fuisse, quam hanc "confusam elo-

---

[4]) Flor. XV.

[5]) Fronto ad M. Caes. de El. 6.

quentiam" [6]) Vides enim dicendi genus ex varia Latinorum scriptorum lectione collectum et mixtum, ut cujusque ratio proposito Apuleji aptissima visa est, ita ex ea potissimum colorem ducere: qui vero sermo in communi et remissa vel scribendi vel loquendi consuetudine versetur, eum omnium minime imitari posse, quia semper anxie vitat, ne quid otiosum sit et vulgare et quod non suo novoque flore distinguatur et lumine. Neque minus in singulis verbis et simplicibus, quam in declinatis et junctis hæc insolitæ et argutæ cernitur elocutionis captatio. Quum enim in singulis verbis rhetores tria esse voluissent, quibus quasi luminibus distingueretur oratio, si verbum aut priscum esset aut novum aut translatum, in omni hujus ornatus genere frequens est Apulejus, maxime vero priscis usus est verbis, quibus Plautino quodam lepore respergeretur oratio [7]). Sæpissime vero, ut ridiculus fiat sermo, in usitato vocabulo ad propriam et obsoletam significationem reditur [8]). Atque quod in singulis verbis fit, idem fit in conjunctis [9]) ut vulgaria verba priscis et inusitatis mutentur. Novavit autem Apulejus non tam voces simplices quam vocum significationes, nulla interdum necessitate ductus nec interpretandi licentia sed quo quid inusitati et ridiculi haberet oratio. Quo in genere est illud "forensis sermo," quod in eo ipso loco positum, ubi sermonis quandam barbariam excusat, fieri non potest, quin ridicule quaesitum sit. Sed dubitari potest, utrum Apulejus hoc verbum Græco *ἀγοραῖος* [1]) respondere voluerit

---

[6]) Id. d. or. IV. 1.

[7]) Protelare, prominari, commodum, prosapia et. cet.

[8]) Adorare = alloqui, tolerare = tollere IV. 26., (laciniæ) literatæ VI. (Pl. Rudens: urna literata), (farina) candidati IX. 12.

[9]) Fabricare risum, eximie, solidum metuere l. irasci. V. 28.

[1]) Gell. XVII. 3. *αγοραῖος* = "male literatus."

an sit ductum a Latino "foras" [2]). Eodem pertineat generosus [3]), levigare laborem, detestari = testes exsecare (VII. 28), expugnare (VIII. 12) = pugnis evellere et cet. Quo in genere Apulejus et Tertullianus genere tam similes sunt, quam in singulis dissimiles. Nam uterque, quasi communi sermone contenti non essent, vocum significationes licenter immutaverunt. Sed quum multa non tam quæsita videantur, quam ex provinciali quadam insolentia profecta, amplius de hac re infra dicemus. Quemadmodum autem usitatis verbis prisca aut nova sic propriis semper ea præfert Apulejus, in quibus aut aliqua translatio inest aut amplificatio. Ut tergum semper fere spinulam dicit, cupere gestire, oculos lunina, contemplari sæpe arbitrari. Eodem pertinent [4]) interfecta virginitas [5]) lurore alius [6]) solari [7]), contruncare cibum et quæ suut ejusdem generis. Atque petuntur hæ translationes ex omni Latini sermonis aetate, ut non minus multa cum recentioribus [8]) quam cum priscis Apulejo sint communia.

Deinde, quæ est festinantis scriptoris in imaginibus concipiendis celeritas, derivatis vocabulis quam simplicibus uti maleut. Hinc participia: caloratus, exasperatus (mons), buxans, vernans, araneans, pro adjectivis adhibita, quo magis in agendo ponantur res. Rursus pro participiis substantiva, quæ in -tor desinunt quibus id, quod quis agit, in perpetuam hominis proprietatem mutetur. Quod idem in vocabulis liberius et derivandis et componendis cerni-

---

[2]) Si recte legit Hildebrand locum IV. 13. hoc statuendum videtur. Quod argumentum idem a Columella petiit, nihili est.

[3]) Met. V. 29.

[4]) Met. I. 3.

[5]) Met. IV. 4. Tert. Apol. 48. lux interfecta.

[6]) Met. I. 6. Tert. Apol. 59.

[7]) Met. II. 25. Tert. 9. IV.

[8]) Scena, pignus, sacramentum et sim.

tur. Nam et festinantis est et celeris ingenii, quæ in communi et quasi sedata scribendi consvetudine, quum sint ex pluribus notionibus quasi composita, pluribus verbis enuntiantur, ea uno verbo et una cogitatione comprehendere. Accedebat quod hæc audacia, quo minus Latine scribentibus concedebatur, eo plus habebat et novi et interdum ridiculi.

Jam vero in verbis jungendis et in tota sententia oratione conformanda, eo dicendi genere utitur Apulejus, quod ad poetarum similitudinem accommodatun nimio ornatu et putidum fiat et corruptum. Invenias multa, quæ poetæ in verbis immutandis et transferendis invenerunt ausique sunt felieiter, ea Apulejum sic imitari, ut, amissa brevitate, intereat etiam orationis gratia et venustas [9]). Cernitur etiam corruptum judicium in verbis aut prave translatis aut longius [1]). Omnino est in tota Metamorphosi quum ornamentorum molesta luxuries [2]) tum rapida et interdum celeritate cæcata oratio. Ataque quamvis universo genere nihil Apulejo tam dissimile sit, quam Tertullianus, cujus oratio quum peracuta tum nimia brevitate concisa verborum numerum sententiis fere consequitur, tamen in eo similes sunt, quod nimium festinantes sæpe, quid sentiant, indicant magis quam declarant. Cujus rei exempla sunt non solum, quod multa verba contra morem soli casui accusandi conjungunt [3]) sed maxime usus vocum, quas

---

[9]) Alluvies quietas temperare XI. 2. pensilem gradum paululatim minuere V. 20. lenem gradum et obnixum silentium tolerare IV. 10. mortem fratri paratam bibere. X.

[1]) Crassis auribus respuere I. 4. affulsit fortunnæ nutus hilarior.

[2]) Propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis, reciproco gressu mea recalcans vestigia, vagarer errore certo IX. 11 p. 614.

[3]) Mentiri sororem, et similia. perseverare puellam Tert.

vocamus præpositiones [4]). Omnino quæ Latinæ dictionis propria fuerat perspicuitas, in his Afris scriptoribus nulla est. Neque enim quidquam antiquis scriptoribus, qui ex crebris et arte inter se connexis enuntiationibus orationem struebant, tam dissimile est, quam Apulejus, qui nominibus, quæ vocant, conficit omnia, et vincula illa, quibus inter se coagmentatur oratio, paene exsilio damnavit.

Haec festinatæ scriptionis luxuria effecit, ut in numeris et verborum complexionibus nihil his Metamorphosibus magis inconditum reperiri possit. Atque in descriptionibus quidem eadem cernitur argutiarum et concinnitatis nimia captatio, cujus in Floridis mentionem fecimus. Sed in Floridis, ne aures fatigarentur, cavit diligenter, in Metamorphosibus vero is est inconditæ orationis cursus eaque ubertas, quam vix legentis attentio, nedum audientis properatio sequi possit et excipere [5]). In narrando vero verba plerumque ita continuat Apulejus, ut numero omnino careat oratio. Dum enim properat ad descriptiones, in quibus magis elucere possit rhetoris facundia neque aut, ut fit in vulgari et remisso sermone, brevibus sententiis vult orationem solvere aut devinctionibus, quas vocant, sententiarum uti callet, sed una enuntiatione multas res verborumque copiam inutilem colligit, fit, ut multa sententiæ membra conjecta magis quam coagmentata duram et molestam reddant orationem [6]). Quantum igitur ab accuratæ scriptionis elegantia, tantum abest a quotidiani sermonis candore et simplicitate. Sed hæc molesta ratio posteriorum

---

[4]) T. ex. in: in avem gestire Met. II. 25. in mortuum jacere, in cervum ferinus II. 4. Tert. Apol. 40. vis undarum Lucaniam in Siciliæ nomen relegavit. (Prop. IV. 11. 82. somniaque in faciem credita sæpe meam).

[5]) IX. 11, 12.

[6]) IX. 14. p. 621. 21. p. 633.

librorum magis propria sunt. Nam quo longius progreditur Apulejus, eo magis tumida dictione depravantur omnia. In primis autem tribus libris omnia brevibus carpta verborum continuationibus simplicius narrantur et æquabilius.

Fabulae vero illi, quæ de Psyche narratur, quamvis multa cum ceteris communia sint, tamen, nescio quomodo, hic placent, quæ displicent illic.

Nam quum esset ex mente Platonis [7]) adumbrandum, in animum humanum quam vim haberet amor, omniaque Lucianeo lepore ad Deorum personas referenda, et res erat digna, in qua modo molli, modo grandi, semper autem florido pictoque dicendi genere uteretur, et si quid aut in mollitia lascivum est aut in gravitate turgidum, non temere id fieri videtur, quia res propter se ipsam, non solum propter Apuleji consilium ex levitate et gravitate quasi mixta est et temperata. Totum hoc dicendi genus, quamvis ex aliqua parte ei consimile sit, quod in Frontonis fabula de "Somno" et Senecæ Apocolynthosi adhibetur, tamen neque in Latinis literis quidquam habet, quocum conferri possit et ex Græco nihil sumpsit, nisi quod ferret interpretandi negligentia. Captus rei pulchritudine et suo ingenio tanquam liberas remittens habenas Apulejus novum quoddam invenit dicendi genus, quod ut multis in partibus elegans non sit et Latinum, tamen ita comparatum est ut simul cum fabula, qualis est apud Apulejum, natum videatur. Nam ut habuerit Apulejus aliquam de Amore et Psyche fabulam, quam de Græco in Latinum converteret, certe non ea erat, quam nos Latinam legimus. Unus Apulejus repertus est, qui tam contrarias res inter se conciliare posset, ut non solum

---

[7]) Cfr. Plato. Symp. XXII.—XXX.

Lucianum [8]) cum Platone [9]) coujungeret, sed etiam Græcæ poesis suavitatem cum novorum Sophistarum lascivia et audacia. Atque quemadmodum Apulejus, quum neque Græcus esset neque Romanus, omnes fere Græcorum Romanorumque artes literasque suo ingenio complexus est, sic hæc Græca fabula ab ingenio Apuleji ita tanquam renata prodiit, ut, quum multa immixta habeat, quæ nec Græca sunt nec per se pulchra, tamen in suo et novo pulchritudinis genere versetur.

Atque quemadmodum præclare inventa est, sic ita narratur hæc fabula, ut nihil in illo genere suavius inveniri possit. Primum ita festinat oratio, quasi autor somnii mira narraturus spectacula timeat, ne priusquam ad finem ventum sit, mentem capiat oblivio, vel potius quasi metuens de "somnii mensura" adhuc videat illa speciosa miracula. Sed hæc festinatio fabulantis est, non scribentis.

---

8) Nam dubitari non potest, quin ea fabulæ pars, quæ est de Diis Olympicis, de Luciano, æquali fere scriptore, sumta sint, quamvis fortasse sint multa, quæ Lucianus non invenerit. Quod enim Jupiter queritur, se ab amore in animalia omnis generis mutatum fuisse, quod Venus minatur se filium armis spoliaturam, eadem in Dialogis Deorum leguntur. Cfr. Dial. Deor. II. XI. Ap. Met. VI. 23, V. 29. De Mercurii præconis laboriosa persona vid. Luc. bis acc. Ille de ætate amoris ludus Met. V. 31. invenitur apud Lucianum, Dial. Deor. II. et Plat. Symp. 18. Hæc igitur fabula suavissima, ex multis et dissimilibus composita, qualis est, Apuleji ingenio deberi videtur.

9) Ubi Apulejus de iis Dæmonibus disputat, (Flor. X. de Deo Socr.) qui "semper a corporis compedibus et nexibus liberi certis potestatibus curant" et tamen omnibus hominibus præpositi sunt, semper solos amorem nominat et — Somnum (Cfr. Fronto). In Dialogo illo, qui inscribitur Asclepius, multa dicuntur de amore, qui homines de futuræ æternitatis spe in vita mundana periclitantes ad Deum ducat. Quin etiam Hermes, quem Apulejus (Apol.) quasi peculiarem Dæmonem colebat quique et ex Aegyptiorum et, si velis, Græcorum disciplina inter Deos et mortalia quasi intercedit, in illo dialogo Divinus cupido vocatur c. 1. Cfr. Plut. de Is. c. 19. 54.

Tanquam ante oculos versetur res, quam lectoribus non nisi commonstret, iis vocabulis, quibus quasi articulis connectuntur sententiæ, ut lentis et non necessariis uti negligit. Suam quæque sententia comprehensionem conficit. Quæ si quando est longior, non miramur [1]), quod ne respirandi quidem tempus est, priusquam omnia quæ possit, dixerit de iis rebus, quæ verbis exprimi omnino non possint. Quum ad finem comprehensionis ventum est, aut, levi copulandi particula injecta, quasi metuat ne interpelletur, cursum repetere festinat aut consistit, tanquam miraculo attonitus, et stupore excitus ac metuens, ne quid præterlapsum sit, rursus pergit festinare. Atque quamvis tota fabula in eadem festinatione versetur, tamen suum cujusque partis proprium est dicendi genns. Prima pars quasi exsultans procedit, læta pulchritudine Psyches; in iis, quæ de domo Cupidinis narrantur, omnis oratio ejusmodi est, quæ suspendat animum et exspectationem moveat. Felix scriptoris ingenium, qui plura concepit, quam quæ possit verbis exprimere, nova verba callide invenit [2]). Iam vero quis non ferat, Amorem turgido sermone querentem [3]), qui sciat, in illa curiositate omnem Psyches fortunam verti neque oblitus sit, tamen omnia etiam in hac fabula ad ludum comparata esse? In dubitatione Psyches tenera fit et trepida oratio [4]), cum eadem Psyche anxia errat et sollicita, tanquam æstatis et floribus picta atque exornata, et fatigata calore, donec cum Cupidine, "pinnis refectis," ad lætum exitum quasi provolat.

In iis, quæ de philosophia scripsit Apulejus, aut ve-

---

[1]) Met. IV. 23. 363. V. 35. 316.

[2]) Defletus = förgråten — decantatus = förtrollad, inhumanus = öfvermensklig, efferare argentum. V. 2.

[3]) V. 12.

[4]) Psyche misella et animi tenella V. 18. 21. p. 359.

terum philosophorum placita exposuit aut Græce scripta in Latinum convertit. Quorum ille Dialogus, qui de Deo Socratis inscribitur, quemadmodum in initio Floridis simillimus est, sic testimonio est, Apulejum philosophis etiam Latinis multum operae dedisse. Nam extremus Dialogus et sententias et dicendi genus e Seneca sumsit, et medius in sententiis artius connectendis et explendis verborum quasi orbibus vetus et Ciceronianum dicendi genus, quale est in illius de philosophia libris, quodammodo imitatur. Quod idem ad initium maxime libri, qui inscribitur "de Mundo" transferri potest. Ceteri libri, "de Dogmate Platonis" et "Asclepius" in inculta simplicitate versantur. Quod dicendi genus quoniam nihil habet proprium, non amplius in hac parte commentationis morantes ad alteram nos transferemus. In qua, ut diximus, quum conabimur exponere, quid cum Romanis scriptoribus commune habuerit hic Afer, tum quæremus, num quid Apulejo proprium sit, quod hominis peregrini et ab ingenio linguæ Latinæ aliquo modo remoti esse videatur.

Plauti igitur et Terentii sermonem Latinum, si quis cum Seneca vel Quintiliano comparat, linguæ Latinæ ducentis illis annis magnam factam esse mutationem intelligit. Quum enim multa apud priscos scriptores incerta quasi fluctuarent, eruditior ætas rationem adhibens emendaverat vitiosam consuetudinem. Eadem politorum hominum sive ratio sive voluntas, quum ea, quæ aut pingue quiddam sonarent aut asperum, iis commutavisset, quæ magis pressa essent et mollia, tum in vocabulis vel derivandis vel jungendis artioribus cancellis se circumscribebat. Malebat enim simplicium vocabulorum callida et diligenti junctura, quidquid opus fuisset, significare quam aut æmulari Græcorum copiam aut in elaborata scriptione quotidiani sermonis licentia uti. Denique, volente

usu, multa vocabula, aut moriebantur aut ex ea significatione, qua nata erant, decedebant. Ex his causis orta erat elegans illa et Romana scribendi consuetudo, quam nemini licebat excedere, qui se inter eruditos scriptores referri vellet.

Atque queritur nonnunquam Quintilianus, suæ ætatis eloquentiam, quum nimio elegantiæ studio [5]) et prisca atque vulgaria, et fingendi audaciam anxie fugeret, magnam sermonis partem sibi abscidisse [6]), nihil ausam esse ex se ipsam generare [7]). Quantum vero fuerit eorum fastidium, qui in hoc genere Quintiliano quoque modum transgredi viderentur, ex eo conjicitur, quod multa verba, quibus Cicero non ita raro usus est, ipse Quintilianus, tanquam horrida et ex ultimis vetustatis tenebris repetita, in erudito sermone adhiberi vetuit [8]). Ita factum est, ut latius transferri posset, quod in nominibus declinandis dixit Quintilianus, aliud esse Latine loqui, aliud Grammatice. Sed ut omnia, quæ modum excesserunt, sic hæc nimia et morosa diligentia versa est in contrarium, Nam secuta est ætas, quæ in antiquis literis ita versaretur, ut recentiores aut ignoraret aut vituperaret acerbe. Gellius, quum tot historicos nominet, nunquam aut Livii aut Taciti mentionem facit, neque in poetis ultra Catullum et Vergilium progreditur. Plautum vero ceterosque antiquos fabularum

---

[5]) (Scholastica) exercitatio ab omni veritate sejuncta. Inst. VIII. 3. 23.

[6]) l. c.

[7]) VIII. 6. 35. Vix illa, quæ παραγομενα vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocunque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt sullaturit et proscripturit — — — — Eo magis necessaria abusio quæ non habentibus suum nomen accommodant, quod in proximo est, ut: Et jam leo pariet — — et parricida matris quoque et fratris interfector et. cet.

[8]) VIII. 3. oppido, reor, ærumna et. c.

scriptores et Catonem et Sallustium narrat in omnium manibus fuisse, qui artes liberales attingerent.

Neque hos scriptores tanquam optimos illos quidem sed vetustos et obsoletos admirabantur, sed quorum reverenda simplicitate delectabantur, eosdem habebant Latinæ linguæ autores locupletissimos. Est apud Gellium [9]), Frontonem vehementer iratum fuisse, si cui verba Catonis et Enni dehonesta et deculpata viderentur. Idem [1]) Fronto, quum de quæstione quadam grammatica disputatur et autor adhibetur Plautus, "linguæ latinæ decus," quæri jubet ex illa antiquiore cohorte vel oratorum vel poetarum scriptorem assiduum et classicum, cujus testimonio solvatur dubitatio [2]). Ita quum et plurimum legerentur illi antiqui scriptores et tanquam Latini sermonis autores optimi probarentur, fieri non poterat, quin a serioris ætatis ratione recederetur et consuetudine.

Sed si quis rationem sibi reddebat, quid in antiquis probaret, nec, quidquid apud illos legisset, in suum sermonem vellet recipere, animadverteret necesse erat, ipsos illos antiquos scriptores inter se tam dissimiles esse, ut, si alterum vellet imitari et in ea re sibi constare, alterum probare non posset. Atque Fronto quidem in hac re ut rhetor videtur versatus esse, non ut grammaticus. Nihil is in antiquis rerum scriptoribus tantopere laudabat, quam quod sermone puro et modesto usi essent neque, ubi posset res propriis verbis significari, ambitus istos et circumitiones desiderassent [3]). Ipse fatetur, se, quum jam

[9]) N. A. XIX. 10.

[1]) Ibd. XV. 9.

[2]) Ibd. V. 21. M. Catonem, Q. Claudium, Valerium Antiatem, L. Ælium, P. Nigidium, M. Varronem subscriptores approbatoresque habemus præter poetarum oratorumque veterum multam copiam.

[3]) Fronto de Or. IV. 3.

adultus esset, nondum quidquam veterum lectionum addidicisse [4]) nec, quum, confirmato judicio autorem quæreret, ultra Sallustium regressus est. Quem sequentem dicit se ipsum vulgaribus et obsoletis verbis uti, quia, nisi id saltem sciret, deteriora loqueretur [5]). Sed quemadmodum numquam reperitur, quæ recentior ætas certa ratione damnasset, ideo probasse, quia essent antiqua, sic tantum abest, ut quam in vocabulis vel jungendis vel derivandis prisci poetæ sibi sumserint licentiam, eam suis æqualibus concessam voluerit, ut nisi timide et commemorato autore figmentis Plauti vel Laberii non utatur [6]).

Sed quum non omnes eadem, qua Fronto, diligentia uterentur et judicii subtilitate, factum est, ut in omni sermonis genere verba quæ vel horrida vel ficta audacius ex antiquissimo quoque poetarum arripuissent, cum quadem ostentatione inculcarent, obliti, quid in eleganti prosa oratione deceret et spreta non minus vulgari loquendi consuetudine quam optimorum scriptorum autoritate. Narrat Gellius [7]), se ipsum, quum priscos libros legisset, multa inusitate dicta notasse, quibus in prosa oratione uteretur. Idem Gellius, quamvis et suo et Favorini nomine [8]) eos vituperet, quos dicit nimis priscas et ignotas voces in communi sermone expromsisse, ipse librum illum, qui inscribitur "Noctes Atticæ," ita scripsit, ut sit ex priscis lectionibus quasi mixtus et compositus.

Serpsit deinde res et mox erat modesta consuetudo, quæ fuerat inepta imitatio. Erant tamen in hac ratione,

---

[4]) Epist. ad Marc. II. 4.
[5]) D. Orat. III. 3.
[6]) Eo loco. IV. 1.
[7]) N. A. XVIII.
[8]) N. A. I. 10. XI. 7.

in quibus non tam verba quam ingenium moremque sermonis antiqui sequerentur et, quum ab eleganti scribendi ratione decederent, ad communis sermonis accederent similitudinem. Namque ea verba, quæ Gellius Latina esse defendit, non sunt e prisci cujusdam sermonis usu petita sed a poetis audacter ficta, nec quærebatur, utrum his verbis uti liceret, nec ne, sed utrum liceret illorum poetarum consuetudinem imitari, an esset in elegantis sermonis finibus consistendum [9]). Ut igitur in singulis multa, quæ jampridem ab usu intermissa essent, in vitam revocaverit hæc priscorum imitatio, tamen universo genere eodem ducebat, quo hæc ætas per se ipsa ferebatur, ut relictis finibus, in quibus dum constitisset lingua Latina, Romana fuisset et elegans, fingendi licentiam et vulgaris sermonis consuetudinem ad scribendum afferrt. Illa autem sumta licentia, quum alia essent omnis vulgaris sermonis communia, alia temporum regionumque propria, ortus est novus sermo, prisco ut in multis similis, sic in multis dissimilis.

Quæ cum ita sint, nos genera rerum, non singula sequentes exponere conabimur, quibus in rebus maxime, quum omnes hujus ætatis scriptores, tum Apulejus a præcedentis seculi ratione atque consuetudine recesserit.

Gellius, quo prisco quodam colore respergeretur oratio, ex antiquis Comicis multas voces repetivit, quæ quotidiani et remissi sermonis consuetudinem reddunt neque erudito scriptore satis dignæ visæ erant, quod in iis aut nimium quiddam inesset aut quod cum ceteris

---

[9]) Gell. N. A. XVIII. 11. Non hercle idem sentio cum Cæsellio Vindice, qui petulanter insciteque Furium .veterem poetam dedecorasse linguam Latinam scripsit his vocum fictionibus, quæ mihi quidem dictu profatuque non insuaves esse visæ sunt: lutescere, noctescere, virescere (vires recuperare) et. cet.

verbis sententiæ non cohæreret. Ut inibi, oppido quam, quam, procul, admodum numero [1]) et quæ sunt ejusdem generis [2]). Quæ voces in omnibus Apuleji libris frequentantur.

Eadem sive prisci sermonis imitatio sive vulgaris similitudo in eo cernitur, quod et Gellius et Afri scriptores eas vocum figuras, in quibus inest opimum quiddam et productum, brevioribus et quasi magis comptis anteponunt. Ut firmiter [3]), sempiterno [4]), paupertinus [5]), fugela [6]) et ea verba, quæ vocantur frequentativa. Deminutivis etiam quod tam multis usus est Apulejus, sæpius quidem ridiculam sermonis lasciviam, nonnunquam vero solam soni quandam amplitudinem secutus est [7]).

Jam vero eo ipso, quod in priscis scriptoribus legendis plurimum versaretur hæc ætas, fieri potuisse, ut in vocabulorum usu atque significationibus multa antiqua in usum revocarentur, ex eo modo apparet, quo de his rebus disputat Gellius. Queritur enim sæpissime, inscitia temere dicentium factum esse, ut pleraque verborum ex propria significatione decederent vel in aliam longe vel in proximam, neque dubitat ipse eorum sequi autoritatem, quos dicit integre ac perite locutos esse [8]). Quæ querela quam-

---

[1]) Gell. XX. 1. 51.

[2]) Prænimis XIX. 10. Oppido quam, Gell. VI. 7. nimis quam prudenter, Apol. 48. Addere licet: sane quam, præquam.

[3]) Apul. Apol. concinniter Gell. XVIII. 2.

[4]) Petronius c. 50. Diutino. Apul. Apol. 14. nocturno ibd. curriculo. Gell. XVII. 8. Apul. Apol. 44.

[5]) Gell. XX. 1. Apul. Met. IV. 12.

[6]) Apul. Apol. 93.

[7]) Semiadopertulus Met. III. 15. grumulus VI. 10. Priscum quiddam et rusticum habent etiam substantiva in -o- onis e. gr. Petron. 68. occupo. coco; bibo, Gell. III. 12. Met, II. 31. vitupero, mendico, villico. Apul.

[8]) Gell. XIII. 30. VI. 11.

vis id maxime doceat, quantopere recentiores literas aut ignoraverit aut contemserit, qui Plautum et Pacuvium autores quæreret, ubi posset Tacito uti, tamen in hoc genere fieri non poterat, quum solas vocum figuras [9]) et usum antiquorum sequeretur, quin vim adhiberet receptæ scribendi consuetudini, quæ si solitarium a solo [1]), necessitatem a necessitudine, primorem a primo [2]) incredulum ab incredibili [3]) differre voluisset, facta esset ex suis opibus divitior. Idem Gellius, quæ in casibus et numeris nominum cum illa consuetudine pugnarent, priscorum autoritate excusata defendit. Disputat enim l. XX. c. 6. grammaticus quidam, "patrem mei" inusitate sed recte eaque ratione, qua Plautus dixerit "labori mei." (Cfr. Boettich. Lex. Tac. p. 208).

Quod si in his rebus, nulla causa permoti, prisca aut vulgaria quam elegantia maluerunt, non est mirandum, si, ubi ille sermo Latinus quasi de suo jure cesserat, hoc egressi terminos et prisca repetiverunt et finxerunt nova. Nam quemadmodum omnis sermo, sic latina lingua non omnibus opibus suis utebatur, sed multis abstinebat, modo, quia voluerat usus, modo quo auribus consuleretur. Ut genere vocabulorum ratione constabat, sic in numero bona consuetudine. Ac nescio an nullus sermo sibi in hac re adeo temperaverit, quam Latinus, qui, dum elegans erat, unius urbis et unius ætatis consuetudine tenebatur. Itaque fieri non potuit, quin quum tempora mutarentur et quasi de sua patria migraret sermo, illi termini relinquerentur. Primum igitur quum essent in Latino sermone multæ vocis aut casibus aut numeris adeo imminutæ, ut

[9]) Id. XIII. 3. 17.

[1]) Id. XIII. 3.

[2]) Id. primore aspectu II. 7.

[3]) *Res incredulæ* VIII. 4.

essent, in quibus præter unum casum adverbii loco usurpatum nihil restaret, nulla religio hos scriptores tenuit, ne illis vocabulis casibus numerisque expletis uterentur. Quemadmodum igitur Fronto, Sallustium imitatus, *plerusque*, sic Gellius *singulus*[4]), *paucus*, *pauxillulus*, Ejusdem generis est apud Apulejum *aliquantus*, *optimas*, *facetia*[5]) *retrorsa*, *nuperus*. Accedunt, quæ vitiose ficta sunt, penitus[6]), ubertus[7]), deincipiti die[8]). Maxime vero cernitur hæc ratio in gradibus, quos vocant, adjectivorum formandis. Est apud ipsum Frontonem "observandissimus" [9]), cujus generis ne in Gellio quidem et Apulejo quidquam invenias simile, qui ceteroquin in hoc genere multa sibi permiserunt[1]).

Sequitur, ut de iis vocabulis dicamus, quæ aut declinatione aut compositione ex aliis finguntur. Quo in genere quum dubitari non possit, quin multa ad Græci sermonis similitudinem finxerit Apulejus, breviter repetendum est, quid hæc ætas et priores in Græcis aliquo modo transferendis secutæ sint.

Priores igitur ætates, quarum id commune fuerat, ut in utraque sermo Latinus in celebritate aut fori aut auditoriorum vigeret, diligenter cavebant, ut, quidquid assumeretur ex Græcia, ad Latinæ linguæ ingenium accommodaretur. Itaque nec Græce verba recipiebant, nisi parce et paullatim, nec dabant operam, ut semper Lati-

---

[4]) N. A. XVIII. 8. Præfatio.
[5]) Apol. Apul. 12.
[6]) Plaut. Gell. Apul. (Cf. Boettich. Lex. Tacit. p. 437).
[7]) Gell. XV. 4.
[8]) Apul. pereger, Tert. ad ux. parum pretium. Ap. Flor. XVIII.
[9]) Fronto Ep. ad Antoninum P. 4.
[1]) Adminiculatior Gell. Præf., faberrimus. Flor. IX. p. 36. græcatior, Apol. Tert.: necessarior Test. An. IV, militarior Apol. XI.

num esset vobabulum, quod responderet Græco, sed aut, quæ Græci uno verbo dixerant, pluribus reddebant aut aliquo modo ita formabant orationem, ut res transferrentur, non verba. Uni philosophiæ major et necessaria concedebatur libertas, qua tamen nec Cicero nec Seneca nisi raro et quasi pudenter usi sunt. Iisdem ætatibus si quando Græca vocabula in sermonem Latinum recipiebántur, hæc plerumque, quoad fieri poterat, Græcam figuram retinebant, quo agnoscerentur peregrina, non civitate donata [2]). Gellius autem, qui scripsit hac Romanarum literarum ætate, quam possimus appellare grammaticam, primum priscos secutus multa Græca vocabula in Latino sermone inculcavit, quæ Latina reddere sibi videtur, si Latino modo declinantur [3]). Apulejus vero, quid in hac re secutus sit, ex ipsius verbis intelligitur, quibus non excusavit sed gloriatus est, quod multa nomina Romanis etiam inusitata et in illum diem, quod sciret, infecta, ita de Græcis finxisset, ut tamen latina moneta percussa essent [4]).

Deinde, quantopere studuerit Gellius, ut semper unum reperiret Latinum vocabulum, quod Græco omnibus numeris responderet, ex iis cernere licet, quæ in libri XX:mi capite quinto convertit [5]). Itaque, si, quæ in hoc genere apud Gellium Apulejum, Tertullianum ab eleganti sermone Latino decedunt, in eo maxime cernuntur, quod aut data proportionis lege, quidquid libuit, finxerunt aut

---

[2]) Vid. Quintilianum, qui hanc rationem constantissime secutus est.

[3]) Ut diatriba, graphice, apirocali, scimpodium.

[4]) Apol. cap. 38. addit: vel dicant nobis, Æmiliane, patroni tui, ubi legerint latine hæc pronuntiata vocabula?

[5]) δυναμεις redditur, opulentiæ: "ξυνετος quum quærerem uno itidem verbo reddere, alium non reperi, quam quod est apud Catonem: cognobilis."

iis usi sunt fingendi modis, quos priores ætates adhiberi noluerunt, causa nonnumquam ea fuit, quod Græcæ linguæ copiam æmulantes orationem Latine formare neglexerunt.

Ac primum in agendi verbis a nominibus fingendis Plautinam prorsus licentiam sibi sumsit Apulejus neque id in Metamorphosibus solum et in iis libris, quæ in philosophia versantur, sed etiam in Apologia [6]. Eodem modo participia declinantur vel adjectiva, cujus generis sunt ingeniatus, peculiatus, ineffigiatus, quam figuram, quum inveniatur apud omnes scriptores Latinos, qui ad communis et quotidiani sermonis similitudinem propius accedunt [7], in eleganti scribendi genere minus probatam fuisse docet Quintilianus [8].

Venimus ad nomina adjectiva, quæ a verbis ita finguntur, ut actionem, non tempore definitam, sed rei propriam et quasi perpetuam significent. Quorum quum essent in lingua Latina multi et varii fingendi modi, Apulejus in hoc genere ita versatus est, ut omnia tentaret et omnia undique arriperet [9]. Sed quum ex his figuris nulla esset, qua ex verbis primæ, secundæ, quartæ conjugationum adjectiva activa ita fingi possent, ut manerent illæ literæ - a - e - i, quæ harum propriæ sunt, prævaluit figura illa -bilis, ut quæ omnibus radicibus accommodari posset. Quam figuram, si cum substantivis in -bulum compares, id proprie significasse probabile est,

---

[6]) Extraneare c. 97. græcissare 98. infimare, de Deo Socr. expergificare. Gell. XVII. 12.

[7]) Cfr. Suet. Calig. c. 52.

[8]) VIII. 6. 32.

[9]) Mansues, perpes; uus attiguus VI. 12. prospicuus II. 22. Supplicue IX. 39. -lus: eminulus, propendulus, anteventulus IX. 30.

quo res efficeretur vel posset effici [1]). Recesserunt, credo, postea ab illa significatione et remanserunt in iis, quæ actionem verbi quasi admittunt. Has voces Apulejus modo hac [2]), modo illa [3]) significatione, modo pro activis participiis [4]), modo pro passivis adhibuit [5]).

Sed quum in hac re nihil Apuleji proprium sit, nisi, quod, data declinandi forma, nova quasi ludibundus fingit [6]) et iis figuris maxime delectatur, in quibus aut duplex derivatio [7]) inest aut soni quædam latitudo, ne multa colligamus, ubi omnia persequi non possimus, transeamus ad compositionem verborum, rem a Latinis scriptoribus semper timide et modeste tentatam. Quum autem Quintilianus [8]) "expectorare" et similia, quæ a nominibus et præpositionibus finguntur, ut audaciora notasset, hujus ætatis scriptores, tanquam eleganti sæpissime usi sunt ea fingendi ratione [9]). Accedunt, quæ Gellius et Apulejus nova et ad Græci sermonis consuetudinem finxisse videntur [1]).

---

[1]) Donum placabile Plaut. Rud. Significabilis vox. Varro. VII. dissociabile mare. Hor. Od. I. II. persuasibilis Quint. II. XV. 16.

[2]) Ignorabilis Met. XI. 22.

[3]) Vincibilis Apol. 37.

[4]) Cachinnabilis risus, III. 7. ejulabilis plangor IV. 3. sono penetrabili vocis ululabilis V. 7.

[5]) Famigerabilis IX. 4. multiforabilis XI. 22. (De his vocabulis vide Rothium: Taciti Agricola p. 210. 24.) A nominibus etiam finxit Apulejus hujusmodi adjectiva: naturabilis Flor. IX. ærumnabilis Met. I. 1.

[6]) *(Servitium)* famulitium-, avitium (Apol.) capillitium, præcipitium.

[7]) E. gr. terriculamentum, miscellaneus. Accedit concinnitatis captatio, de qua re supra diximus.

[8]) Quint. inst. VIII. 6.

[9]) Desquamari, emasculare Apol. 42. excuneare Flor. XVI.

[1]. Antespectans, (Gell.) anteludia (Met. XI. 8.) antelucio Met. I. 15. antecoenia (II. 15.) superpondium VII. 18. præripium Apol. 8.

In ceteris compositionibus, quæ aut ex verbis et substantivis [2]) aut ex substantivis et adjectivis [3]) fiunt, neque Apulejus neque Tertullianus quidquam fere ultra communem scribendi morem progressi sunt [4]) nisi ubi comica quadam festivitate orationem imbuere voluerunt [5]). Unum in severo sermone audacius finxit Apulejus "honoripeta." Sed compositionis vice funguntur adjectiva substantivis adjuncta [6]), in quibus id maxime animadversione dignum est, quod sine ullo discrimine adhibentur, ut adjectiva in -eus, aris, osus idem significent [7]).

Jam vero in vocabulis jungendis sive in syntaxi eadem cernitur licentia, quod, quidquid in certis vocibus et restricte solitus erat sermo elegans, id in omnibns audet Apulejus. Ut quum dixissent veteres *animi anxius*, ausus est Apulejus et *tantus ingenii* et *corporis curatæ* [8]) et similia. Quod idem ad casum genetivum adverbiis, quæ dicuntur loci et quantitatis, adjunctum transferri potest [9]).

Sed quum hæc omnia neque ab ingenio Latinæ linquæ abhorreant et ea sint, quæ a scriptoris aut subtilitate

---

[2]) Varro de lingua Lat. V. 7. a populo ficta: arenifodinæ et viocurus.

[3]) L. c. "incurvicervicus. poeticum." Nescio, an non recte Fuchs (Die Romanischen Sprachen p. 166) talia dixerit "volksthümliche Zusammensetzungen."

[4]) Tert. *Suaviludius* Apul. illutibarbus Flor. III. horripilo Met. III. horricomis.

[5]) Ut certis verbis (facio, loquor, fero) et nominibus (numeralibus et "bonus," "malus") continerentur. Maliloquium Tert. parciloquium Met. V. 13. multinominis. Dial. Ascl.

[6]) Cantus terminalis, pistor dulciarius et. cet.

[7]) Cinis farinulentus IX. 12. frondosum umbraculum — IX. 22. somnolentæ tenebræ.

[8]) Met. IV. 13. V. 2. morum improbatus VIII. 2. Vid. de hac re Ruddimann. Inst. II. p. 73—78.

[9]) Undique laterum VIII. 17 et. sim. hinc inde laterum II. 30. undique sui. Apol. 95.

aut licentia potius quam a communi quadam loquendi consuetudine profecta videantur, sequitur, ut consideremus, num sint, quibus appareat, aut vulgaris aut alieni sermonis insolentia sermonem Apuleji corruptum esse.

Primum igitur hujus ætatis sermo Latinus, quasi in illa varietate, qua ornata fuerat lingua Romana, versari non posset, eo inclinavit, ut unam et simplicem sequeretur declinandi formam [1]). Deinde in verborum significationibus multa sunt in Apulejo, quæ a Romanorum usu ita recedant, ut fieri non possit, quin a vulgari quodam sermone profecta sint. Omnis enim sermo vocabulorum usum certis definit regionibus, ut alia in propria vel communi remaneant, alia in unam et certam transferantur. Atque fieri potest ut, quum duo vocabula proprie idem significent, alterum transferri voluerit usus, alterum non passus sit. Hos terminos movere aut non audet, qui certa loquendi consuetudine teneatur, aut, si audeat, id agit saltem ut intelligatur. Sunt autem multa, maxime in primis Metamorphoseon libris, quæ nec invenire potuerit Apulejus nec ausus esset ad scribendum adhibere, nisi essent a vulgari quodam sermone sive imprudenti oblata sive quærenti [2]).

---

[1]) -us - a - um - are. Hoc quum vulgaris sermonis commune fuisse videatur, tum in Afris maxime cernitur. *Conjuga* Ap. Met. VI. 4. enervus, exossus I. 5. totæ (dat. sing.) XI. 16. illæ (gen. sing.) VII. 23. ossum XI. 8. Apol. 8. *nulli* Flor. IX. Thracus, Cappadocus-*præsagare*. Met. IX. 38. Tert. præcocus, pavus, deglubare, elinguus; *de Pallio* I. (Gellius: aliæ, alteræ. necessum est III. 1.). Cfr. Bernhardy Röm. Lit. I. Anm. 240.

[2]) Captivitas (elände?) I. 6. Vide *Klotz* Handwörterb. et *Fuchs*, Die Roman. Spr. p. 125. *expugnatio* id. X. 5. nutus = numen VI. 16 et sæpissime. portare ætatem = ferre ætatem VI. 25. frugalitas IX. 35. (tarflighet = tarfliga bohag? Cfr. Hild.) exilis metus = exiguus. finire = döda VI. 25. explicare = perficere s. ad finem perducere VI. 20 e. s. porrigi et porrigere gressum = pergere. V. 21. opem facere = ferre VI. 28. postliminio = rursus I. 25. capellæ

Maxime vero in verborum, quæ vocantur, generibus, apparet sermonem Latinum, qualis est in libris Apuleji, senescentem et nimis tritum sui ipsius quasi oblivisci coepisse. Nam et multa verba contra morem quarto casui junguntur [3]) et activa verba cum deponentibus licentius commutantur [4]). Qua in re si multa Apulejo cum priscis communia sunt, non est, quod nobis persuadeamus, hunc scriptorem illos esse imitatum, sed utrosque de eadem causa ex emendato sermone decessisse. Jam vero sæpissime, ubi Latinus sermo casu ablativo vel dativo usus est, Apulejus accusativo cum præp. in utitur [5]). Sed ne aut vulgarem sermonem aut Apulejum in hac re credamus sibi constitisse, æque multa sunt in Metamorphosibus, quæ usu Dativi ad morem argenteæ ætatis proxime accedunt [6]).

Restat, ut quæramus, num verisimile sit, sermonem Latinum Afrorum externa insolentia corruptum fuisse. Atque primum constat, in Africa circum colonias Romanas indigenas habitasse, qui nisi Punice loqui non possent. Quin etiam Romanos, nobilibus natos parentibus, illa bar-

---

senem opilionem esse *profecto* clamabant VIII. 19. Cfr. Tertull. v. *justitia* (capilli colendi, pallii quadrata j.) ambitio = omfång ambitiosus = vid. (Petr. p. 16.) commeatus = agmen VIII. 17. proximus = förekommande ap. 35. adolescens regno ibd. 25. alioquin. II. 1. plane = certe s. quidem apud Tert. et Apul. frequens. e. gr. Met. X. 29. p. 734. Tert. Apol. 42, 44. *ignobilis* maritus V. 3. violentia = vindicta V. 31 *Saucius* VIII. 23: et sæp.

[3]) Pervolare scopulum (till klippan) V. 17. insistere lapidem, angiportum II. 2. 21. adesse scopulum; maledicere aliquem et cet. (Petr. c. 58).

[4]) Æmulo II. 23 contemplo, cono Flor. p. 30. 46. blandio Ap. 87. Somnior. Met. VIII. 12.

[5]) Parce in verba I. 3. æmulus in colorem, in aureos refulgentes attonitus II. 26. Cfr. Heffter, Die Gesch. d. Lat. Spr. p. 18.

[6]) Venus cenæ nuptiali concessit. VI. 10. Cfr. Tacit Agr. veteri quieti restituit. c. 16.

baria adeo imbutos fuisse, ut Latinum sermonem paene dediscerent, testimonio Apuleji cognitum est [7]). Quod cum ita esset, fieri non poterat, quia in imperitorum hominum sermone utriusque linguæ colluvies quædam exsisteret. Sed quo modo hæc Punica barbaries Latinum sermonem corruperit, judicari omnino non potest, neque est verisimile, Apulejum, qui, natus in Romana colonia, primis jam annis Latinis literis imbutus fuerit, ex illa consuetudine quidquam ad scribendum attulisse. Græcorum autem ut mores, sic literas et sermonem apud eruditos Afros pervulgata fuisse, probabile est. Apulejus enim et Græce et Latine orationes habuit Carthagine [8]). Quin etiam hos Afros elegantiæ Græcæ linguæ magis quam Latinæ operam dedisse, ex Floridis Apuleji conjicere licet [9]). Quantum vero ad Afrorum sermonem Latinum mutandum valuerit hæc Græca consuetudo, quum ex ipso Apulejo, tum ex Tertulliano cernitur, qui, quamquam Romæ aliquamdiu versatus est, ita scripsit, quasi Græcus aliena lingua usus fuisset. Ut enim quæque aut vox aut figura vocis Latini sermonis maxime propria est, ita in ea sæpissime soloecismum admittunt Afri vel certe insolenter loquuntur. Cernitur hoc in pronominibus et particulis, quarum significationes subtilius distinxit Latina lingua [1]). Jam vero apud hos scri-

---

[7]) Apul. Apol. 95. Pudens loquitur nunquam nisi Punice et si quid adhuc a matre græcissat: latine nec vult nec potest.

[8]) De deo Socr. prol. p. 112. 113. Flor. XVIII. p. 91.

[9]) Flor. XVIII. p. 92. Oeæ etiam in publico leguntur Pudentillæ epistola Græce scripta, et, qui Latine loqui vix possint, irridentur, quod hanc epistolum legere non potuerint.

[1]) Exempla sint: Gr. τίς. Lat. quis, uter. vid. Tert. ad Mart. IV. — Gr. εἰ, Lat. num, si. Tert. si pro num. Apol. c. 5 et sæpius. — Pronomen demonstrativum quum Græci non habeant, quod respondeat Latino "isti" Afri hoc pronomine Latine uti nesciunt. Cfr. supra. Gr. τοσοι = tanti et tot. Ap. 50. 40. tanti pro tot. Tert. Ap. 50. penes

ptores casus genetivus totus paene Græcus est [2]), ablativum vero quasi reformidant [3]), præsertim si nominativo similis sit [4]). Addi possunt infinitivi prorsus non Latini [5]). Gerundiva denique, quibus nihil Latinæ linguæ magis proprium est, in sermone Apuleji rarissima sunt.

Sed quoniam pressi temporis angustiis, prius quam voluimus, inchoato opusculo finem cogimur imponere, his breviter disputatis, quid sentiamus de eo, quod in libris Apuleji peregrinum sit et parum Latinum, eloquamur. Si igitur sermonem certæ regionis proprium, quam nos dicinus dialectum, ita definias [6]), ut sit id linguæ genus, quod certa ratione et constanter ab eleganti scribendi consuetudine differat, et dubitari potest [7]), num fuerit qui sermo Afrorum proprius, et certum est nullum librum Apuleji Africano quodam sermone scriptum esse. Id dubitari non potest, quin eruditi Afri, quum ipsum sermonem purum et Latinum ex libris discerent, et ex communi et impolito Latino loquendi more et ex Græca consuetudine multa sumsisse, quibus infuscaretur Latinus sermo. Atque verisimile est hanc sermonis quasi colluviem et insolentiam in elocutionem Apuleji non mediocrem

---

= apud Flor. 86. Tert. Ap. IX. penes Africam, pone = post. Tert. de Pall. III.

[2]) Molliorem sui invenit, intus ædium VIII. 28. longe parentum exsulare. V. 9. foras corporis. Apol. 50. super es omnis stultitiæ ibd. 53. Tert. Apol. 40.

[3]) Gravis in annis II. 2. de vastiore nodulo cerebrum diffindere IX. 40. (Apud Tertullianum frequentissimum). similis, æmulus in colorem. — Perseverare integritati Tert. ad. ux. II. 2.

[4]) Thessaliæ versari, tonstrinæ residere II. 16.

[5]) Non erat dubius cogitare = non erat dubium quin cogitaret — primus regnare. Tert. de Pallio I.

[6]) Ut Winckelmann (Jahrb. für Philologie u. Pæd. Supp. 2 p. 493).

[7]) Cum Zumptio (Berl. Jahrb. für wiss. Kritik. Nov. 1843).

vim habuisse. Credimus Apulejo dicenti, se, nullo magistro præeunte, sermonem Latinum excoluisse nec scio an nulli rei minus quam severæ dicendi elegantiæ operam dederit. Homo felici ingenio et summa industria, quum certos Latinæ eloquentiæ autores diligenter sequeretur, ut bene et diserte, sic Latine dicere potuit, ita tamen ut multa vel ex Græca consuetudine vel ex quotidiani sermonis negligentia immiscerentur. Cujus rei exempla sunt Apologia et Floridorum nonnulla.

In Metamorphosibus vero, ubi omne scribendi genus festinantis est et negligentis, qui, totus in rebus positus, ea usus sit elocutione, quæ esset ipsius, quum in ejusmodi rebus versaretur, maxime propria, si lectores aliqua ex parte Frontonis similes respiceret, erat sane, quod excusaret quum sermonem parum emendatum, tum maxime dicendi formam inconditam et lascivam et omnibus iis vitiis abundantem, quæ ii, qui illa ætate cum aliqua judicandi facultate eloquentiæ darent operam, vel maxime vitanda censerent.

Itaque hic Afer, ut in literis, sic in sermone ex Græcia et Latio omnia ita transtulit ut neque Græca manerent neque Latina. Qua in re ceteris dissimilis est, qui illa ætate, quum in barbaria nati essent, in literis Latinis vel Græcis clari exstiterunt et illustres. Atque quoniam Frontone diximus, nunc Luciano Apulejum conferamus. Ille igitur Syrus et in barbaro sermone natus [8]), quemadmodum Græcæ eloquentiæ literisque totum se dedit, sic antiquam Græcorum historiam, tanquam suam, summo amore amplectitur. Erat in illo homine acerrimum et quasi ferreum ingenium, quo, quidquid verum et bonum esse sibi persuaserat, omni prudentis viri constantia se-

[8]) Luc. bis. acc. 27.

cutus est: rursus, quæ oderat, vel quia ea non intelligebat vel quia falsa erant et corrupta, acerbo et immundo joco exagitavit. Itaque quamvis multa, quæ in antiquorum opinionibus versarentur, irriserit, antiquam Græcorum eloquentiam et civilem virtutem sincere et prudenti judicio admiratus est et, quantum potuit, in vitam revocare studuit [9]). Totus in illa antiquitate defixus, quum, si quid boni et novi haberet sua ætas, id agnoscere omnino nequiret, facere non poterat, quin satiras scriberet easque Attice. Neque erat is, qui posset otiosis literarum studiis intentus vivere, sed quidquid scripsit, ad homines et præsentem rerum veritatem retulit.

At Apulejus et in vita et in literis semper Afer manebat. Natus Madauræ, Numidiæ oppido, vix Oeensibus satis ingenuus videbatur et, qui proconsules Romanos tam humiliter adulatur, eum apparet, Romæ in principum domibus haud aliter acceptum fuisse, quam peregrinum hominem, quibus quam multa ex Romanorum superbia perferenda fuerint, testis est Lucianus in illo libro, qui" mercede conducti" inscribitur. Literarum studiis totus deditus, quid in vita fieret, non curabat, modo ab Afris suis collaudaretur. In literis vero non tam Græcos aut Romanos diligenter imitatus est, quam licenter et suum sequens ingenium, quidquid placuit, in suum usum convertit. Deerat enim judicium, quo, quod optimum visum esset, constanter sequeretur et qui in multis versaretur, perficere nihil poterat. Neque erat is, qui, ut Petronius [1]) et Lucianus aliorum hominum vitam

---

[9]) Ipse ultimis ætatis annis ad rem publicam accessit, quo quid ad communem utilitatem conferre posset. vid. Apol. Luc. Idem, elatus dignitate Græci nominis, quam agre tulerit Romanorum superriam ex libello "De mercede conductis" intelligitur (c. 40). Cfr. Juv. Sat. III. 58—114.

[1]) De quo videsis, quid judicet Niebuhr. Kleine Philolol. u. Historische Schriften I. p. 349—51.

sermonemque callide posset describere atque imitari, sed in omnibus, quæ scripsit, idem loquitur poeta philosophus, qui varia complexus et literarum genera et vitæ rationes, omnibus delectetur et in omnibus vel potius in nulla re tamquam in sua consistat [2]). Sive igitur de Platone et dæmonibus sive de Iside dicit et mysteriis, ideo tantummodo id fit, quod his divinis vel obscuris rebus æque oblectatur ac Luciani facetiis deliciisque Sophistarum.

Quæ quum ita sint, tamen ejus ætatis, ex qua præter Frontonis jejunam maturitatem et Gellii minutas literas nihil fere ad nos pervenerit, lumen ac decus est [3]) is, qui fabulam de Psyche conscripsit. Ut vitia, sic virtutes Apuleji ejus juvenis sunt, de quo possit dubitari, si venisset maturior ætas, an simul cum nimia luxuria demptura fuerit et gratiam ingeniique ubertatem.

---

[2]) v. Schlosser Universalhistor. Übersicht der alten Welt. 3 Th. 2. p. 196—203.

[3]) Cfr. Bernhardy, Röm. Litt. I. p. 301. Niebuhr. Röm. Gesch. V. p. 324.